



Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.

Politici Polemici

COLLECTANEA
DE
CYRILLO LUCARIO,
PATRIARCHA
Constantinopolitano :

Quorum syllabum averſa pagina exhibet.

Quibus accedere
De Veteris Græcæ Eccleſiæ H Y M N I S
Commentationes duæ,

ET
THEOLOGICA de cauſis remediisſque
Diffidiorum, quæ Orbem Chriſtianum hodiè
affligunt, Exercitatio.

G 1696

Authore THOMAS SMITHO
Sacrae Theologiæ Doctore, & Eccleſiæ
Anglicanae Presbytero.



L O N D I N I :
Typis Gul. Bowyer, & impensis Galfridi Wale,
ad inſigne Angeli in Cœmeterio D. Pauli.
MDCCVII.

Narratio de vita, studiis, gestis,
& martyrio D. Cyrilli Lucarii,
Patriarchæ Constantinopolitani.

Lettre du Sieur Van Haghe, Ambassa-
deur de les Estats d'Holland a la Porte
du Grand Seigneur.

Fragmentum vitæ D. Cyrilli per D. An-
tonium Legerum.

Narratio Historica turbarum, quas Con-
stantinopoli moverunt Jesuitæ adversus
Cyrillum Patriarcham, & alia notatu
dignissima.

In Præfat. p. xiv. l. 22. lege *Conciliorum auctoritate*.



LECTORI.



*U*M exemplaria Vitæ Cyrilli Luca-
reos, (quem cognomine ad Latini
sermonis formam magis accommo-
dato Lucarium appellare placet)
Patriarchæ Constantinopolitani, An-
glicè A. 1680. & deinde Latine, cum duobus opus-
culis hic quoque conjunctis, A. 1686. editæ, ante
multos annos distracta fuerint, nec in Bibliopola-
rum officinis hodiè compareant, illam repetitis curis
& maturiori examine exploratam, in publicam
lucem denuo proferre, novoque auctario, quo magis
illius historiæ veritas & fides constare possint, sus-
fulcire & ornare, operæ pretium duxi : quod eo
lubentius fieri oportere arbitror, tum ut illius ma-
ximi Viri, longè mitiori fato, si per malas artes &
insidias Romanæ Curia, si per implacabile Jesui-
tarum odium, si per popularium ipsius, qui Romæ
educati, patria religione deserta, sese istius Eccle-
siæ placitis addixerint, invidiam, improbitatem,
insanumque zelum licuisset, dignissimi, bonæ famæ
& memoriæ, quod fas, æquum, pietas, amorque
oppressæ & afflictæ innocentia pro virili tuendæ
& vindicandæ exigunt, litem, tum ut Amicorum,
aliorumque, qui statum Græcæ Ecclesiæ, quo tem-
pore

pore reverendissimus & pientissimus ille Vir supremum illud Ecclesiasticum, & primæ per multa retroacta secula dignitatis, munus imperterritò animo administraverit, penitus cognoscendi desiderio tenentur, curiositati & commodo aliquatenus satisfiat.

Non mihi animus est, aut propositum Apologiam pro D. Cyrillo hic intertexere: nec opus erit, cum ea, quæ in sequente Narratione, & alibi in defensione libri de hodierno Græcæ Ecclesiæ Statu, adversus Richardi Simonii cavillationes passim occurrunt, cuiusvis cordato, & à partium studio vel modicè libero, sufficere possint. Quod verò & tua & mea intererit, ut pernòris, antequam te ad hæc Collectanea reliquasque Dissertationes adjectas legendum accinxeris, paucis, hac præmissa Præfatione, indicabo.

Vociferantur & ad ravimusque crepant Adversarii, Cyrillum hunc anathemati subiectum, illiusque Confessionem fidei damnatam fuisse a duabus Synodis, altera sub Cyrillo Berrhæensi mense Septembre A. 1638. altera sub Parthenio Patriarcha mense Maio A. 1642. Constantinopoli habitis: inde de Cyrillo, cruenta nece immanissimè perempto, æternum triumphaturi.

Sed num illum aut canonicè excommunicatum, aut hanc ritè damnatam sedatis affectibus perhibebunt? quod quotquot istorum temporum & rerum circumstantias benè perspectas habent, vix facile sunt concessuri. In istis gravissimis concussionibus, quas isthoc tempore passa est Græca Ecclesia, Cyrillianarum partium Metropolitæ & Episcopi, aut à sedibus suis erant amoti, aut raptati in carcerem,
aut

aut missi in exilium, aut intentatis minis periculisque fidem, quam professi fuerant, ejurare coacti; inque illorum locum titulo tenus aut recens à Cyrillo Invasore constituti. Hic autem Jesuitarum discipulus, quorum consilio se totum regendum dederat, & ope, Cathedram Patriarchalem, solutis Imperatori Turcarum, quasi pro investitura, more consueto pecuniis, occupavit, planè tyrannicam in quosvis, & ubilibet, qui ejus arreptæ auctoritati & mandatis obluertari ausi sint, vim exercuit: hi D. Cyrillo Lucario, dum in vivis esset, maxime infesti, jam sive ex vindictâ, sive ex Reformationis nuper inductæ odio, sive ad gratiam Romanensium, illorum eleemosynis, dum Romæ in Collegio Græco vixerint, pridem emutriti, & in plerisque dogmatibus Theologicis planè Ἀντιπρόσωποι, aucupandam junctis operis Cyrillum damnârunt, calculisque suis sententiam decretoriam approbâsse perhibentur. Ita quidem aliqui ad novum colorem invidiæ & odio, quibus in Virum optimum immanissimè feruntur, inducendum, decretum istud ex auctoritate venerandæ Synodi sub Cyrillo Berrhœensi prodiiisse, non sine summa audacia, nulli fundamento innixâ, contendunt.

Sed, ut, quod ipse sentio, salvis aliorum judiciis, liberè dicam, videtur verissimum, Eerrhœensem, tribus circiter post extinctum Decessorem mensibus, pauculis Episcopis, eorundem criminum consciis, aliisque Sacerdotibus ipsi mancipatis, simul assistentibus, istam feralem sententiam, atrocissimis calumniis & maledictis refertam, ut Patronis & Magistris ipsius gratificaretur, tulisse: cui ceteri, cum Constantinopolim, aut citati, aut negotiorum causa,

causa, pervenerint, aut præ turpi obsequio, aut præ pudore & metu, nullo articulo Synodicè, prout oportuit, secundum Scripturas & SS. Patrum doctrinam discussò, tandem subscripserunt; & ad majorem pompam in codice magnæ Ecclesiæ inseri curavisse.

Veruntamen maximè mirandum videbitur, nullam hujus Synodalis Decreti in Synodo altera sub Parthenio, qui, Berrhœensi, biennio ab illius usurpatione nondum expleto, Tunetum relegato, & ibi strangulato, constitutus est Patriarcha Constantinopolitanus, post tres quatuorve annos habita mentionem factam fuisse, istudque omninò præteritum & omissum, quasi omni legitima auctoritate vacuum, nullo in pretio haberetur.

Videtur autem Parthenius eadem prorsus methodo usus, nulla Synodo legitimè convocata, (quis enim paucos illos, qui fortè tum in ista Urbe Regia, quos Consultores & Adseffores habuit, veram legitimamque Græcæ Ecclesiæ Synodum constituere posse dixerit?) in dogmata Cyrillianæ Confessionis, sed absque aliquo convitio in ipsum Cyrillum impacto, ex summæ illius auctoritatis, qua tunc gavisus est, vi censuram exeruisse, illamque ad solos Russiæ minoris Episcopos (non enim illo tempore quispiam ex reliquis Patriarchis, quod postea nescio quibus causis inducì fecerunt, alijsve, illorum ditioni subditis, Antistitibus in Subscriptorum numero reperiendus est) transmississe, illorum calculis firmandam: quam non alio nomine, quam Synodicæ Epistolæ, Petrus Mogilas, Archiepiscopus Kioviensis, indigitat, & mox exeunte anno 1642. Jassi in Moldavia imprimendam curavit.

Hæ nimirum sunt duæ istæ præclaræ & magni habendæ Synodi, quas D. Grotius alique Cyrilliani nominis infestissimi hostes illius Confessioni opponunt: sub quarum præsidio, tum istam penitus confossam fuisse, tum se tutos & ab omni calumniandi reatu securos & immunes, nimium quantum gloriantur: sed quam verè, omnes æquissimi rerum æstimatores statuam.

Negari non potest, quod ipse quoque admiserim, Græcos ab isthoc tempore, variis technis fraudibusque adductos, multa Romanæ Ecclesiæ dogmata in suam invexisse: quod nimis aperte testantur, tum Orthodoxa Confessio, uti appellant, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Orientalis, per modum catecheseos in usum plebis & juniorum, lingua vulgari Græca in Hollandia A. 1662. typis elegantibus exclusa, tum præcipuè Synodus Hierosolymitana sub Dositheo Patriarcha A. 1672. celebrata, primò Parisiis A. 1678. una cum Dionysii P. C. super Calvinistarum erroribus, ac reali cum primis præsentia, responsione: nimirum ad quæsitâ à Gallico Legato ipsi eodem tempore ex condicito, ut videtur, proposita, & postea Bucharestæ in Wallachia A. 1690. ab eodem Dositheo edita: de quarum singulis differere, easque in justum ac rigidum examen revocare non est huius loci & temporis, nec ad præsens spectat institutum: cum res ista ampliorem, operosiorẽ, & accuratiorẽ exigat tractationem, quam quæ pauculis pagellis comprehendendi possit. Sed si quispiam curiosus nosse cupiat, quali arte & industria, quo consilio, quibus blanditiis, quibusque machinis longè potentioribus ab illo Oratore, qui omnes ingenii nervos,

nervos, ad procurandum, vel potius emendandum & emercandum, Græcorum, in controversia præsertim Sacramentaria, tum maximo æstu inter D. D. Claudium & Arnaldum agitata, consensum intendebat, suppeditatis, Synodus ista Hierosolymis coacta fuerit, ad ea, quæ in altera Miscellaneorum parte contra R. Simonium Londini A. 1690. edita, pag. 88, 89. olim scripsi, illum remitto. Nec mirabitur, quisquis Græcorum in hoc afflictissimo rerum, quibus urgentur, statu genium norit, si tot importunis efflagitationibus profusisque largitionibus tandem victi cesserint. Interim hoc apud me certissimum & exploratissimum est, Græcos a majorum fide in quamplurimis, quæ hodiè amplectuntur, dogmatibus turpiter descivisse, & Reformatarum Ecclesiarum doctrinam, quæ ex illorum Confessionibus, Actisque publicis, non ex ore falsisque Gallorum & Jesuitarum delationibus haurienda erat, quam adeò temerè præ imperitia proscribunt, neutiquam intellexisse. Si ab istiusmodi insidiis sibi ipsis non in futurum caveant, aut si, deserta veterum Patrum & Antecessorum doctrina, se morigeros alienisque consiliis excipiendis nimium faciles præbere usque pergant, verendum est, ne Romano Pontifici, tanquam Catholicæ Ecclesiæ Capiti & Monarchæ, sese turpi & vili obsequio submittant, & non solum Concilium Florentinum, quod majores, post Græciam ab efferis barbarisque Turcis expugnatam & devictam, tantopere averſati sunt, sed etiam Tridentinum summa cum animorum propensione amplectantur. Sed veniet tempus, quod auguramur, quod optamus, quod ferventissimis precibus ad Jesum,

τὸν δὲ πίστεως ἀρχηγὸν καὶ πλειῶν, *fufis contendimus, quando Deus pro immensa illius misericordia suscitaturus sit Principes verè Christianos, qui de Græcorum cervicibus jugum Turcica servitutis depellant & excutiant, & alterum Cyrillum, aliosque Præsules, pari morum & vitæ sanctimonia pol- lentes, & pari quoque zelo incensos & animatos, qui Ecclesiam istam a crassis erroribus & corrup- telis in doctrina, fœdisque superstitionibus in cultu sacro admissis, quibus scatet, repurgatam, tandem aliquando, adjutrice divina gratia, pristinae puri- tati restituant.* Γένοιτο, Γένοιτο.

Sed de his satis, & fortasse plusquam satis, Ad reliqua, quæ hæc Collectanea propius spectant, pergo.

Epistolam Viri amplissimi, Cornelii de Haga, Batavici ad Portam Ottomanicam Oratoris, tem- pore Patriarchatus Cyrilli, quocum arctissimam inibat amicitiam, ad excellentissimum Virum, D. Thomam Row, Equitem Auratum, qui nomine & jussu serenissimorum Regum, Jacobi I. & Caroli I. legationem Constantinopoli summis cum sollertiæ & prudentiæ laudibus paulo antè obierat, scrip- tam, inter schedas Viri maximi, & omnium seculorum memoria dignissimi, Guilielmi Laudi, Archi- episcopi Cantuariensis, in Archivis Regiis, licet loco non suo, repositas, olim reperi : ex qua Hi- storica quedam, quæ Cyrillum propius attigerunt, excerpta in Narratione inserui : & quam jam in- tegram do ex Apographo, quod reverendissimus Pater & Dominus, D. Guilielmus Sandroftus, Archiepiscopus quoque Cantuariensis, o Margæritus, A. 1689. cum nondum exauctoratus, adhuc in

adibus suis Lambethanis manserit, mihi pro summa ipsius benevolentia impertiri dignatus est. Cum verò hæc Epistola sit aurea & laudatissima, non egebit præconio meo: de cuius veritate & fide, sepositâ muneris publici, quod gessit, dignitate, cum eorum omnium, quæ ibi enarrantur, fuerit oculatus & auritus testis, nemo ut ut malevolus, ne Allatius quidem, si vixisset, absque piaculari crimine dubitaverit. Redux illo in Patriam, & ob sedulam & felicissimè navatam in ista legatione operam supremi Senatus Juridici Præses constitutus, Cyrilli, Amici sui, vitam describere apud se statuebat, quo nemo potuit aut melius aut accuratius: quod reverendus & eruditissimus Vir, Andreas Rivetus * testatur. Quod si fecisset, (& utinam quidem fecisset!) pulchram pietatis, innocentia, fortitudinis, constantia, reliquarumque Cyrilli virtutum imaginem vividis coloribus depictam haberemus.

Sed quod propter negotiosam vitam Legato non licuit, præstitit, saltem ex parte, Vir clarissimus, D. Antonius Legerus, Theologus Genevensis, illi, ut accepi, a sacris concionibus, Patriarchæ, quantum huius summa dignitas & illius modestia permiserint, perquam familiaris, & a quo totius vitæ rationem, tum crebris colloquiis, tum literis, didicerat. Ex hac D. Legeri narratione Historica brevi compendio exarata, V. G. D. Hottingerus, quicquid de Cyrillo habet ad finem Appendicis Dissertationis VIII. Analectorum Tiguri 1652.

* In Grotiana Discussionis dialyse, p. 236, 237. Sect. VII. n. 4. Rotterodami 1646.

collegit : sed illam integram sine aliqua commentatione propriis verbis debuit exhibuisse. Fragmentum hoc, quod mense Novembre A. 1687. mihi admodum benevolè communicavit vir reverendus & doctissimus, D. Petrus Allixius, in hisce Collectaneis apponere non inconsultum mihi videbatur; nec Lectori ingratum fore spero : inde, si apud quempiam ex nepotibus exstet, omnibus partibus perfecta & absoluta, ut edatur, siue invitaturus, siue provocaturus.

Narratio Historica turbarum, quas Constanti-nopoli moverunt Jesuitæ adversus Cyrillum Patriarcham—in fine libelli ingeniosissimi, cui titulus, *Mysteria Patrum Jesuitarum*, a V. C. D. Riveto supramemorato Lampropoli A. 1633. uti ferunt, editi exstat : unde propter cognatum argumentum, & propter quadam memorabilia lectu dignissima, hac transferre placuit.

In Commentationibus de veteris Græcæ Ecclesiæ Hymnis, præsertim in priore, multa, quæ maturior Patrum aliorumque Ecclesiasticorum Scriptorum recensio subinde suppeditaverit, addidi. Non sine aliqua animi delectatione memoriâ recolo, observationes & conjecturas, quæ ibi proferuntur, magnis Viris, & eruditionis consummata fama longè celeberrimis, non displicuisse : quorum elogia nolo jam promere, ne læsæ modestiæ aut fiduciam manifestus peragar. Hic tamen justa mihi datur occasio intentandi litem adversus quendam Gallum, ingenii laude alias non incelebrem, qui in concione in Hymnum Angelicum S. Luc. cap. ii. Gallicè edita, multa inde suffuratus est, quasi sui essent peculii, & non ex alieno fundo sublata.

sublata. Sed plagium hoc non acriori censura exagitabo : ipso reo coram confitente. Ego sanè nullius famæ invideo, nemini hac ex parte injurius, eorum, per quos profecerim, prout probum & ingenium Virum decet, non parcus laudator. Unde spero non mihi vertendum esse vitio, quod in re, tantillâ licet, bonæ existimationi, quam integram & inviolatam cupio servari, hac publica vendicatione prospectum iverim.

Theologica ista, ultimo in loco posita, de causis remediisque diffidiorum, quæ orbem Christianum hodiè affligunt, Exercitatio jam tertio prodit, absque aliqua vel minima mutatione, ex quo illam coram Academicis Oxoniensibus in Ecclesiâ B. Mariæ pronuntiaverim. Hanc autem lucubratiunculam post tot annos quasi tenebris sepultam, & oblivioni traditam, novâ luce donandam esse eo impensius volui, quod ejusmodi pacifica consilia piis omnibus & pacis Ecclesiasticæ amantissimis, inter tot opinionum de dogmatibus Theologicis, extra essentiam fidei positis, divortia, omni tempore non possint non esse acceptissima. Post laudes, quas D. Fridericus Ulricus Calixtus, Georgii Calixti, magni Parentis, non minor Filius, in Epistola ante Discursum Patris de vera Christiana religione & Ecclesia, earundemque statu, suis Collegis Helmstadii 1687. inscripta, mihi ingerit, hac habet : Non potui certè non omnia ista probare, nisi quod cujusque arbitrio opiniones privatas quasunque relinquens, nimium indulgere, atque in permittendis erroribus, quos quisque retinere gaudet, prodigus esse videatur. Aut inentem

Viri

Viri non fatis rectè assequor, aut ille aliquid, quod meo quidem iudicio, ut minus est tutum, ita non adeò videtur consultum, indulget, atque in elevando tolerandoque dissensu nimium est facilis: *Et post pauculas quasdam animadversiones, quibus statim ibo obviam, addit: Sed nullus dubito, quin etiam hic sese extricare, atque liberius asserta sic declarare valeat, nec relinquatur, quod desiderari queat. At quidem certissimum est, clarissimum Virum mentem meam non fatis rectè, imo non omnino, assecutum esse. Argumentum enim maxime procedit de particularibus Ecclesiis, quæ non pendent a se invicem: penes illas nimirum pro suis leges, articulos, constitutiones, & quicquid paci publicæ procurandæ, & schismati sententiarumque dissidiis tollendis conducatur, figendi jus & arbitrium esse: in hisce authoritati legitimæ acquiescendum esse, modò nihil decernatur, quod religionem Christianam laadat, modò fundamentales articuli fidei salvæ integritque maneant, nec quicquam revelationibus divinis in sacris Scripturis clarè comprehensis detrahatur: in reliquis, articulos, in pacis & concordie instrumentum destinatos, pro infallibilibus divinis oraculis obtrudi non debere; sed abundè sufficere, si veri sint juxta sensum & mentem eorum, qui legitima Synodo congregati, condiderunt, modò, ut dixi, Scripturis & primitivæ Ecclesiæ doctrinæ non repugnent, & solis suis subditis in commune bonum Societatis præscribantur: hanc libertatem singulis nationalibus Ecclesiis debere reservari, & defendi adversus tyrannidem Romanorum Pontificum, qui injustam in*
univer-

universam Christi Ecclesiam potestatem sibi arrogant, & nova dogmata & decreta omnibus credenda & admittenda sub dirissimis censuris & anathematismis imponunt: hisce tanquam pacis Ecclesiasticæ, quo minus omnes, qui in Christum credunt, in eandem in rebus creditu ad salutem necessariis sententiam coeant, perturbatoribus dicam impingi: in cæteris dogmatibus, subtilioris indaginis, nondum decisis, & fortasse nunquam decidendis, relicta sive statuendi sive opinandi libertate: nullo tamen modo cujusque privati arbitrio errores, in quoscunque & qualescunque aut sua libidine & perversitaciâ, aut malis institutionibus, a falsis Doctoribus, mente corruptis, & circa fidem reprobis, subdole introductis, inciderint, aut amplectendi aut retinendi licentiam concedi: sed in privatis opinionibus levioris momenti, quæ fidem Christianam non oppugnant, quæ pietatem non lædunt, quæ vitæ civilis officiis non adversantur, quæ heresim non sapiunt, aut primitivæ Ecclesiæ Symbolis, in tesseram Sacræ communionis ex generalium Conciliorum juxta sensum sacrarum Scripturarum conditis & sancitis, non officiunt, dissensum indulgeri posse, ac in illos, qui aut præ imbecillitate intellectus aut erroneâ conscientia abducti, iis favent, præsertim, si modestè se gerant, si publicis sacris cœtibus se non subducant, neque in apertum schisma & rebellionem contra suos legitimos Superiores erumpant, sub hisce aliisque conditionibus illic propositis, non aded rigidè animadvertendum esse: denique in universo hujus Dissertationis contextu, quod tamen perperam censet V. Cl. nihil in gratiam & favorem Romanensium,

nensum, nisi sprotis disputandi regulis, trahi posse: multo minus in Schismaticorum, siue in Anglia, siue in vicino regno degentium, qui concukate omni iura diuina & Ecclesiastico, eversa- que sacro regimine Episcopali, in uniuersa Eccle- sia, ubi ubi religio Christiana floruerit, altasque egerit radices, ab ipsis Apostolorum temporibus olim stabilito, novam fidei formulam, perplexam quidem & intricatam, falsisque dogmatibus refer- tam, jam à tempore rebellionis in Britannia ad- versus R. Carolum I. Principem pientissimum opti- mumque, & beatissimæ memoriæ Martyrem, sub specioso Reformationis pretextu impiè quidem concitata, veteris Ecclesiæ institutis susque deque habitis, introduxerint, excusationem; è quorum illicitis coitionibus & fœderationibus omnes istæ horrendæ strages, & mala, quæ uniuersam In- sulam pridem inundauerint, originem duxere. Hic unicus erat hujusce pacificæ Dissertationis edendæ, quem proposui, finis, nec a me aliò, nisi ad conciliandas inter Reformatas Ecclesias dissensiones, ad publicam tranquillitatem in sin- gulis seruandam, & ad lites inter Protestantes ipsos, ex subtilibus quæstionibus argutiisque Scho- lasticis ortas, fraterna charitate & prudentissima συγγέλαισσι sopiendas, dirigitur, nec a quoquam absque injuria distorqueri potest. Sed totum hoc, quod inter V. Cl. & me controvertitur, negotium tuo iudicio maturè explorandum libens permitto.

Hæc paucula, quasi tumultuario congesta, præ- mittenda duxi, ut præuium facilemque horum Opusculorum, quæ in hac Sylloge continentur, conspectum habeas.

Vale

*Vale Lector, & hosce meos conatus, quos diu
veritatis & publicæ pacis amore, ac honesto since-
roque de Ecclesia verè Christiana, bonisque literis,
aliquatenus, saltem pro modulo meo, benè merendi
desiderio incitatus, recudendos curavi, æqui boni-
que consule.*

Calendis Martii Juliani
A.C. MDCCVI. jux-
ta Ecclesiæ Anglicanæ
computum.

Brevis

Brevis & succincta

NARRATIO

DE

Vitâ, Studiis, Gestis, & Martyrio

CYRILLI LUCARII,

PATRIARCHÆ

Constantinopolitani.

Editio nova longè auctior & emendatior.

Scriptore THOMA SMITHO, S.T.D.

Et Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero.

THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF MODERN ART
1000 5th Avenue
New York 17, N.Y.

ATLANTIC CITY, N.J.

1910-1911

THE MUSEUM OF MODERN ART

1000 5th Avenue

New York 17, N.Y.

THE MUSEUM OF MODERN ART

1000 5th Avenue

New York 17, N.Y.



*Narratio de vita, studiis, gestis, &
martyrio* CYRILLI LUCARII.



CYRILLUS LUCARIS in Cretæ, maris Mediterranei insulæ, principe Urbe natus, xiii. die Novembris A.C. 1572^a. perhibetur, cui, cùm tota Græcia cum circumvicinis ferè omnibus insulis Turcicâ barbarie inundaretur, & Ottomanorum tyrannidi & armis cessisset, per tot secula altâ pace frui felicissimè contigerat, prudentiâ & invictâ fortitudine Venetorum, qui Provinciam illam, Reipublicæ imperio assertam, summa moderatione æquissimisque legibus administrarent, ut minus beatè olim sub propriis Imperatoribus viveretur. Insulani, sui juris ac nullius libidini & arbitrio subditi, ritus sacri cultûs, juxta Ecclesiæ Græcæ instituta, ab omni molestiâ & fastidio securi, retinuère : nec à quoquam vis aliqua abhibebatur, quo minus integrâ religionis exercendæ fa-

* Ita Schedæ Antonii Legeri ; sed dubito an hic annus rectè signetur. Causam hujusce dubitationis postea allegabo.

4 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

cultate, ut in ipsâ Græcia nondum captivâ, uti liceret. Tantæ & cæteris Græcis invidendæ felicitatis sensu tacti, omni studio fategerunt palàm facere, se neque ingratos neve beneficii immemores fore. Indè ex libertate crevere vis & robur animi, incorrupta fides, debitumque erga Principes suos obsequium, & qui libertatis perpetuus comes est, artium scientiarumque amor. Si quæ semina virtutum aut doctrinæ mentibus juvenum enata prorupissent, arte & disciplinâ ea sedulò fovebant, donec ad bonam frugem maturuerint: & cum jam mera barbaries ipsas Athenas occupâset, ad capiendum ingenii cultum, Venetias & Patavium missi sunt, studiis politioris literaturæ & philosophiæ sub Magistris & Professoribus, quos serenissima Respublica liberalibus stipendiis aluit, solidiùs & severiùs instituendi. Huc se ferre solebat studiosa juvenus, tanquam ad alteram parentem almamque ingeniorum nutricem, nec Athenas in Venetiis, aut in Patavio, desiderârunt. Inter hos ^b Cyrillus noster, tam ab ipsis parentibus, quam proprio, quo ferebatur, mentis impetu, literis destinatus, hic loci optimum nactus est Præceptorem, sub cuius tutelâ & magisterio tyrocinium deposuit, Maximum Margunium, Cytherorum postea Episcopum, non vulgaris ingenii & doctrinæ virum, quod tum *Hymni Anacreontici*, tum *Epistolæ duæ de malorum permissione divinâ, & de processione Spiritûs S.*

^b Tum duodecennis. A. L.

Græcè Francofurti 1591. & Dialogus iste, Græcè olim Londini 1624. *de processione Spiritûs S.* editus, testantur. In usum etiam contribulium suorum *vitas Sanctorum*, Græcè in Synaxariis exstantes, in linguam vulgarem vertebat : Venetiis 1603. & 1621.

Cyrillus verò, peractis, quibus imbuî solet juvenis, studiis, jam à longo frequentique usu & exercitatione, linguarum Italicæ & Latinæ apprime gnarus, pro innato animi, qui jam ad longè majora adspirabat, æstu, Italiam, quam totam peragraverat, relinquens, ad cæteras Europæ regiones invisendas, tum famâ literarum & religionis Reformatæ, tum peregrinandi amore accitus, properabat, eo potissimum fine, ut uberiori doctrinâ, maturiori judicio, & certâ rerum experientiâ, optimâ illâ prudentiæ magistrâ, quæ nunquam fallit, instructus, tanquam redux, quibuscunque subsidiis & quantis posset viribus, miserrimum in modum afflictæ & laboranti Patriæ succurreret.

Ideo omnia curiosis oculis rimatus est, & quâ pollebat sagacitate, sedulâ & fideli mentis applicatione in profunda rerum penetravit, nec se meris titulis aut nominum pompâ à recto abduci passus, dogmatum Theologicorum, de quibus tantâ cum acritate à diversæ Communio-
nis hominibus disputatum erat, veritatem momenti rationis expendebat, ut hoc pacto Theologiam exactiùs calleret, & nervosiùs tractaret. Hic enim videtur, si non unicus, saltem præcipuus disquisitionis ipsius scopus : nec talem animum rei tam sanctæ intentum, neque ejusmodi

6 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

laboriosam investigationem destituit eventus. Hunc autem fructum capiebat tum è libris, quos diligentè versabat, tum è conversatione familiarum, quam habuit cum Theologis aliisque Reformatæ religionis affectis & fautoribus, ut Romanæ Ecclesiæ placita, de quibus non adeò bene sentiebat, cultusque sacri, inductis tot superstitionis ritibus, ad pompam & splendorem plurimum, ad pietatem ingenerandam parum aut nihil facientibus, deformationem, indies ab illo tempore magis magisque fastidire & odisse inciperet, simulque tenerrimo affectu miserescere fortis gentilium suorum, qui longâ servitute oppressi, hac ex parte quoque laborarent, nec sibi de erroribus & abusibus, qui sensim obreperant, tollendis, in ista fatali rerum vicissitudine, subsidiis quibusque, quæ mens libera, bonis literis adjuta, utpote in investigandâ veritate alacrior, suppeditare solet, destituti prospexissent. Non jam mirari subit, si hac mente veri cupidâ præditus, Reformatas Ecclesias, à quibus neutiquam alienus discessit, propter veritatem ab officii errorum purgatam, postea in Patriam reversus, quo ætate, quæ iudicium firmat, magis proveheretur, majori in veneratione habuerit. Hisce dotibus, quas sancti mores pulcherrimè ornabant, omnium in se oculos convertebat, bonâ spe hinc conceptâ, quam magnus & qualis futurus esset, & quam ingens labantis Patriæ columen. Nec diu latere poterat Meletium Pegam, Hieromonachum, & Sylvestri Patriarchæ Alexandrini Protosyncellum, genere quoque Cretensem, utpote ipsius consanguineum,

neum, tunc temporis a Constantinopoli commorantem, & munere Vice-Patriarchæ istius primæ sedis fungentem, ad Patriarchalem Alexandriæ dignitatem postea promotum, qui juvenem eruditum, pium, industrium summo favore, humanitate, gratiâ, amore, prout par erat, excepit, inque ipsius familiam, quo de illo melius, prout res tulerint, mereretur, cooptavit. Ab illo in ordine Sacerdotali constitutus erat Cyrillus, & post factus Archimandrita. De Meletio pauca interfere omninò oportet. Ille quoque per multos annos in Italia studiis Theologicis occupatus, artibus & scientiis Latinorum Græcum ingenium temperavit: sed tantum abfuit, ut argutiis Scholasticorum tanquam victus, propius accederet ad fidem Romanensium, ut indè illa ipsi fastidio planè esse cœperit, quod similitatibus præjudiciisque gravioribus auctum, relictâ Italiâ, per totum vitæ curriculum retinuit altâ mente repositum; utpote, qui sive invidiâ, sive veritatis amore accensus, in Romanam Ecclesiam acerrimis censuris invehi nunquam cessaverit. Illum tamen summè eruditum & subacti judicii fuisse, ne Adversarii quidem, placido ore & absque omni bile sententiam prolaturi,

* V. Philippi Cyprii Chronicon Ecclesiæ Græcæ. Franequeræ 1679.

• V. hujus laudes apud Georgium Douzam in Itinerario suo Constantinopolitano, pag. 42, 45, 69, &c. Lugduni Batav. 1599. & apud Jos. Scaligerum in Epistolâ ad Marcum Velsærum A. 1602. scriptâ in Sylloge Epistolarum. Epist. clvii. p. 380, 381. Ludg. Bat. 1627. & apud Thuanum Histor. cxiv. ad A. 1595. & denique in Epistolâ quatuor Orientalis Ecclesiæ Patriarchis inscriptâ, quæ Gregorii Thessalonicensis, Georgii Scholarii, & Maximi Margunii opusculis præfigitur, Græcè. 1624.

8 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

negaverint : at si per æstum & indignationem Virum, quem tantopere oderint, justis suffragiis cohonestare nolint, id evictissimum dabunt libri multiplices eruditione referti, ut liber ille *contra Judæos*, primum Latinè, deinde Græcè, & postea Leopoli A.C. 1593. Græco-Ruthenicè editus : *Dialogus*, cui titulus, 'Ορθόδοξος Χριστιανός, Vilnæ 1596. Tractatus περὶ τῆς ἀρχῆς Παπᾶ, ὡς ἐν εἰσὶ ἐπιστολῶν in ogdoade Scriptorum Græcorum, Londini 1624. etiam aliæ Epistolæ, tam

linguâ Latinâ quam Græcâ conscriptæ, ut illa, * quam ad Janum Douzam A.C. 1597. tunc temporis Constantinopoli degens scripsit, & * altera, quam ad Sigismundum tertium, Regem Poloniæ, à Cyrillo nostro transmittendam curaverat : in qua adversus œcumenicam Pontificis Romani potestatem solidè & nervose disputat ; sed de hâc postea. Item duæ aliæ Latinè quoque exarata, quarum prima Simeoni Theophilo Turnovio, Antistiti in Majore Polonia Confessionis Bohemicæ Ecclesiarum ; altera Martino Bronievio inscripta, apud eundem Regenvolscium sive Wengerscium reperiuntur. Unde verò commercium istud literarum inter Constantinopolim, Alexandriam, & Warsaviam originem habuerit, paucis nar-

* Refert D. Legerus ex ore Cyrilli, Meletium, exemplo Clementis Alexandrini, quatuor *Strōmatum* libros scripsisse, in quibus Christianam veterum Patrum doctrinam tueretur. An verò publici juris fierent, planè incertum est. Saltem id me penitus latet.

* Apud Regenvolscium in systemate Historico-Chronologico Ecclesiarum Sclavonicarum : Trajecti ad Rhenum 1652, p. 467. Altera Editio sub nomine Andreæ Wengerscii exstat Amstelodami 1679.

rabo.

rabo. Cum multi è Lithuanix & Nigræ Ruſſiæ Episcopis Græci ritûs, eo ipſo ſe excluſos à jure dignitatis Senatoriæ vidiffent, (impetraveret enim continuis ac importunis precibus à Sigismundo Rege Petrus Scarga^h Jeſuita, ipſi à concionibus ordinariis, ut nulli *Hæretico*, ita loqui placuit, iſtam dignitatem conferret) ejuſdem ſibi & ſucceſſoribus aſſerendæ in Comitiiſ regni non vanâ ſpe lactatiⁱ, tandem, poſt longas hâc de re diſceptationes, duos ex eodem ordine Romam A.C. exeunte 1595. delegârunt, ut agnitâ Romani Pontificis poteſtate, inque iſtius Eccleſiæ ſinum recepti, ſuo & aliorum nomine, Clementi octavo tunc ſedenti obſequia & omnimodam obedientiam deferrent. Quam

primùm verò innotuerit, hanc ſubmiſſionem omnium Eccleſiarum Ru-

P. 466.

thenicarum rogatu & nomine factam fuiſſe, Conſtantine dux^h Oſtoroviensis, idemque Palatinus Kioviensis, (cujus piâ munificentia ſacroſancti utriuſque Inſtrumenti codices exiſtant Ruthenicis characteribus & lingua, A.C. 1581. impreſſi) cæterique Græcæ Eccleſiæ fautores, è quâ fidem Chriſtianam illorum majores acceperant, proteſtatione ſe de ſubmiſſione iſtâ neque ſciſſiſſe, neque conſenſiſſe interpoſitâ, ſeſe ſtrenuè oppoſuerunt. Legatis, quos Roma omni blanditiarum genere complexa eſt, & facilè conſeſſâ, quam petiverant, gratiâ, benigniſſimè dimiſit, reverſis, indicebatur Synodus Eccleſiaſtica Breſtæ, menſe

^h V. Bibliothecam Patrum Soc. Jeſu per Alegamben in Scarga.

ⁱ V. Regenvolſc. p. 463.

^h Sive Oſtrogenſis.

10 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

Octobri 1596. celebranda; ut totum hoc negotium unionis consummandæ, ab ipso Rege tan-
tooperè expetitæ, tandem ad optatum finem per-
duceretur. Quod ut faciliùs daret effectum,
tres maximi nominis viros, Nicolaum Christo-
phorum Radzvilium, Ducem Olicensem, unà
cum Cancellario & Thesaurario Ducatûs Lithu-
aniæ autoritate suâ, ut ejus vice coram essent,
munivit. Hic quoque comparebant Dux Ostro-
roviensis, Episcopi ex alterâ parte, Archiman-
dritæ, alique, quibus firmissimè constitutum
erat, Græcæ Ecclesiæ, exemplo majorum, ad-
hærere. Illis verò conventus suos seorsim agere
placuit, tandemque concertationibus frustra ad-
hibitis, publico instrumento propositæ Unioni
renunciare. Inter hos nomen suum professus
est Cyrillus, à Meletio Patriarchâ paulò antè ad

Pag. 470.

istas regiones missus, qui tunc
temporis Vilnæ operam, si Regen-
volscio fides, juvenibus Græcâ linguâ instituen-
dis navavit. Post, cum res quasi in præcipiti
steterint, & de Græcæ communionis sequacibus
penè actum videretur, quo sibi & fortunis vi-
tisque suorum melius irent prospectum, conve-
nerunt unà cum illis Vilnæ 1599. multi ex
Protestantibus de unionem in rebus quoque, quæ
ad religionem spectant, si quò modo fieri potu-
isset, paciscendâ. Sed frustra cessere ista paci-
fica concilia: spem enim omnem primum præ-
ripiebat Lithuanorum pervicacia, qui tandem
molliores facti, frequenti consultatione habitâ,
se. concordia Ecclesiasticâ satis cupidos ostende-
runt; sed cùm illis incommodum videretur in
rebus

rebus ejusmodi quicquam, inconsultis Patriarchis Constantinopolitano & Alexandrino, statuere, ab hisce disceptationibus cessatum est, & sanctum istud negotium Communionis inter Græcos & Evangelicos arctius stabiliendæ, undè ingens emolumentum in rem Christianam accrevisset, in nihilum planè abiit.

Circa hoc tempus Sigismundi pro ingenti, quo inflammatus erat, propagandi Romanæ Ecclesiæ doctrinam desiderio, edicto cautum erat quam severissimè, ut ¹ nemo exterus quantalibet ipsius ditionis regiones, nisi veniâ prius impetratâ, ingredi auderet : ab his enim advenis valdè metuebatur, ne Græcanica religio, quam diminutam & excisam cupiebat, latius serperet & diffunderetur. Cum verò compertum habuerit, quantæ authoritatis apud universam Græcorum gentem esset Meletius, ad illum literas scribere dignatus est, consulens, ut Romanum Pontificem agnoscat & revereatur, tanquam supremum Ecclesiæ Christianæ caput & Monarcham. Responatorias in Ægypto scriptas A.C. 1600. omni obsequio, quod augustum illud nomen meritò exigebat, plenas commisit Patriarcha fidei & curæ Cyrilli, tunc Archimandritæ, quem, utpote negotio, quo de agebatur, parem, ipsius *Exarchum* constituerat, ut res Græcæ religionis in Russiâ illâ alumnorum illius præsentia adjuvaret, & Regi hisce in literis tum ob probitatem, tam ob eruditionem maximè commendatum voluit. En ipsa verba

¹ V. Literas Meletii apud Regenv. p. 476.

12 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

Meletii in fine istius Epistolæ : *A tuâ verò clementiâ hoc quidem tempore petimus, ut reverendum Patrem Cyrillum Lucari, Exarchum hujus Apostolicæ sedis, & filium nostrum, favore Regio dignetur, hominem & probitate & eruditione Regio favore dignissimum.*

Sed *Non-unitis* grande periculum jam, ut olim, impendebat, quod ausi sint Regis consiliis contra-ire, & in exteros animadvertebatur. Nicephorus, sedis Constantinopolitanæ Exarchus, captus, gulâ fractus miserè periit. Prudentiâ & dissimulatione non nisi difficultè admodum evasit Cyrillus, easdem pœnas aliter capite luiturus. Cùm enim partibus *Unitorum*, jam gratiâ & præsidio regali fultorum, obniti summæ temeritatis esse videretur, probè quoque conscius, ex afflicto suorum statu, responsionem Meletii ad Theologos Protestantes, illum de ineundâ pace Ecclesiasticâ consulentes, Regi maximopore displicituram, eam penitus suppressere consultius existimavit : & metu mortis tempori cedens, animo, prout conjectari licet, dejectus, quo se à periculo, quod capiti imminabat, expeditiùs eriperet, literis, quas reliquit apud Archiepiscopum Leopoliensem istâ urbe mense Januario 1601. scriptis, confessionem fidei Romanæ conformem protulit. Quod *sola fide Scargæ dictum volo, nisi fortè quispiam dixerit, illum ex odio Cyrilli ad infamiam ipsi conflagandam, & in opprobrium causæ, quam

* V. Hottingeri *Analecta* in appendice, p. 553, 554.

* Apud Regenv. p. 479.

adeò turpiter deseruit, hæc effinxisse. Esto, vitio humanæ infirmitatis cecidit Cyrillus, quod tandem mente obfirmatior, posthabitis spretisque imperterritâ mente minis, vitâ & sanguine redemit, nullis periculis, machinis nullis expugnandus, propositi sui usque ad extremum halitum tenacissimus°.

Ad suos reversus magis magisque inclaruit, tum ob mentis inquietæ & ad ardua quæque enixissimè contendentis ardorem, non deliciis, non torpore aut otio ignobili exstinguendum, tum ob prudentiam, quam tot itineribus repetitis confectisque, tot periculis, tantisque negotiis defunctus acquisiverit; cùm res quoque Christianorum alicubi terrarum & in Oriente potissimum illi essent cognitissimæ, omnium consentiente iudicio dignus habebatur longè excelsiori dignitatis Ecclesiasticæ gradu, in quo, tanquam in amplo theatro, cumulatae dotes solertis ingenii & sapientiæ latiùs explicarentur. Vota & desideria adeò auspicato emissa non sine ingenti gaudio tandem rata vident amici, quorum junctis operis, Meletio fatis functo, circa annum 1602, aut 1603, vel potiùs paucis diebus ante mortem id fatagente, quem pietate, erudi-

° Hæc olim scripsi: sed postea mihi, id è Schedis D. Legeri A. 1687. communicatis edocto compertissimum est, epistolam illam sub nomine Cyrilli venditam, omninò supposititiam esse, nec quicquam simile ipsi unquam in mentem venisse, ut ille, istâ re auditâ, sanctissimo Numine cum solenni adjuratione & dirarum imprecatione, si falsâ dixisset, invocato, constantissimè asseverâret: ita ut nulla huic calumniæ & mendacio fides à quoquam veritatis amante & studioso in posterum adhiberi aut possit aut debeat. Vide Miscellaneorum meorum partem alteram, pag. 115, 116.

tionē,

14 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

tionē, zelo, ac studio procurandæ pacis publicæ æmulatus est, ad thronum Alexandrinum evēhitur. De illius gestis in Ægypto, cū nulla monumenta supersint, ex quibus ejusmodi notitia haurienda est, vix quicquam habeo enarrandum^p. Pauca hæc delibare sufficit præfationis quasi vice, antequam de eo, cum solium Patriarchale Constantinopolitanum insedisset, verba sim facturus, Credibile tamen est, nec ulla tenus dubitandum, Ecclesiam quaqua per Ægyptum sparsam, quæ Græcis sacrorum communione conjungebatur, illius curâ, quantum passa est vesana Mohammedanorum in Christianos insultantium impietas, floruisse, illumque per novemdecim annos^q (eò usque enim illius Ecclesiæ clavum tenuit) sanctum illud ac arduum munus optimè sustinuisse. Frequenti usu venit, ut cæteri Patriarchæ, tum ob honorem primæ sedis debitum, tum casuum, qui sub tyrannide Turcarum crebrò contingunt, varietate adacti, Constantinopolim subindè petant, in commune totius Ecclesiæ Orientalis commodum unà consultaturi^r. Hac de causa, cū Cyril-

^p Sandius nostras, in egregio suo Itinerario, quo tempore, nempe A. C. 1611. in Ægypto peregrinatus est, de Cyrillo tunc temporis Patriarchâ magnificum hoc inseruit elogium, illum nimirum esse *exploratæ virtutis & eruditionis virum, reformatæ religionis amicum, & contrariæ adversum* : & ipso iudice, *lites inter nos & Græcos, pro naucis habendas, cum aliis agitas, esse instar nucleorum* : h. e. in controversis religionis dogmatibus & articulis non leve discrimen intercedere. Londini edit. 3. 1630. p. 115.

^q Hottingerus in *Analectis Historico-Theologicis* in appendice dissertationis, p. 555. ex Antonio Legero, qui, dum Constantinopoli ageret, arctissimam cum Cyrillo Patriarcha coluit amicitiam, illoque usus est perquam familiariter.

^r De hac professione vide *Itinerarium Sandii*, p. 135.

Ius A.C. 1612. Constantinopoli adestet, lites illæ agitari cœperant, quæ non nisi cum vita ipsius finem essent habituræ. Feriis enim quadragesimalibus, cùm Kalogerus quidam è Neapoli Romanix oriundus, Jesuitarum, quibuscum familiare ac pene quotidianum exercuit commercium, artibus instigatus, maloque animo erga patria instituta propensus, concione habitâ, multa, quæ Romanensium doctrinæ faverent, effræni audaciâ effudisset, animique Græcorum hisce novitatibus distraherentur; facilè subodoratus Cyrillus, Græcam Ecclesiam non diu permanfuram & integram fore, nisi his versutiis illam pessundaturis maturè occurreretur, totis viribus, quas pietas in patriam religionem, quas zelus submittit in subsidium bonæ causæ, collectis, ad hosce conatus oppugnandum sese accinxit. Non ignoravit, quales quantosque Adversarios, qui ingentibus patrociniis in ipsa Constantinopoli securi, & doctrinæ, ingenii, eloquentiæ pariter ac nummorum copiis nimium quàm fidentes, res Græcorum hætenus quietas commiscere moliebantur, quasi de paupere & afflictâ Græciâ faciles triumphos acturi, esset habiturus. Quos tamen sibi neutiquam terrori esse ostendit: sed vis animi eò fortius & violentius erupit, nec sivit illum interquiescere, donec repressâ hac insolentiâ lites istæ sopirentur. Cùm autem jam pro comperto haberet, ab hisce subdolis hostibus, Græciam selectâ Græcorum manu de-

* Ex literis D. Pauli Pindari Equitis Aurati, tunc temporis serenissimi Regis Jacobi primi apud Portam Ottomanicam Legati, in Archivis Regiis apud Palatium Albam Aulam nuncupatum, repositis.
bellaturis,

16 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

bellaturis, Ecclesiæ ruinam impendere, à Jesuitis, quos ab hoc tempore penè execratus est, tanquam pacis Christianæ in ipsa Turcia perturbatores, maximè cavit, iisdemque bellum αἰωνοῦν indixit, cum ipsis nunquam in gratiam rediturus.

Vertente anno, 1612. ut mihi videtur, (neque enim minutias temporum expendere jam vacat) Neophytus Patriarcha Constantinopolitanus fedi ante quinque annos denuò restitutus, ab Achmete Imperatore, qui imperium capeffivit A.C. 1604. pulsus, in insulam Rhodum relegatur in exilium; quo absente, Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, utpote gradu & dignitate proximus, ἐκὰς διὰ ἐπιεργικῶς, ut loquitur Philippus Cyprius, h. e. *junctis Episcoporum suffragiis summam regendæ Ecclesiæ Orientalis potestatem & curam sibi habuit concreditam*; quod jus quoque ejus antecessor Meletius, ut paulò supra memoravi, sede vacante pridem obtinuerat, (ἐπισημητῆς τῆς θεῆνης γρόμης*, vel ἐπισημητῆς Κωνσταντινουπόλεως, (quo titulo ille usus est) donec sufficeretur novus, aut exauctoratus pristinâ dignitate, quâ exciderat, ex gratia Imperatoris redonaretur; quod non illi iterum contingebat. Mortuo Neophyto de subrogando successore consulitur. Dolendum est, sæpenumerò id usu venire, ut litibus ex invidia, ambitione, cæterisque malis affectibus ortis, Metropolitæ reli-

* In Chronico Ecclesiæ Græcæ, p. 16. Franequerz 1679.

* Vacante quoquomodo sede, Vice-Patriarcha pro tempore constitutus.

* V. Donzæ itiner. p. 122.

quique

quique Episcopi, penes quos, Imperatoris permissu, indicto Ecclesiastico conventu, Patriarcham eligendi facultas est, inter se quàm indecorè committantur, inque diversas abeant factiones. Quod fit maximo cum gaudio & risu Infidelium, qui pecuniæ qualicunque prætextu & quocunque modo corradendæ avidissimi, indè ansam expilandi Græcos captant. Vizirius enim cæterique Bassæ, quorum gratiam utraque pars contendit aucupatur, non sine cumulatis muneribus adeundi sunt. Accedit etiam, quòd nemini quidem, quanquam unanimi omnium consensu eligeretur, neque quispiam repertus fuerit, qui ambitu intervenisset, indeptâ dignitate frui, aut quicquam Patriarchicæ potestatis ex jure debitæ exercere liceat, nisi electionem, utut maximè legitimam canonicamque, ratam esse jubeat Imperator. Quòd si verò ille quempiam ex ordine infimo, tantæ dignitati imparem planè & ineptum, ex mero arbitrio aut animi lascivientis motu, quasi ludens, aut ex consilio Bassarum commendaverit, invitis licèt suffragiis, cooptandus est, nec dedecus hoc & dehonestamentum à se amoliri possunt,

Aliquanto post captam Urbem tempore, Græci hac ex parte sui juris esse videbantur, neque in rebus hujusmodi Ecclesiasticis sese immiscuere Turcæ, donec 'Trapezuntii mille aureos Imperatori obtulissent in gratiam cujusdam Monachi Symeonis, ex eadem urbe prognati, ut aliqualis honor in Patriam redundaret, modò ad istud

• Vide Historiam Politic. in Turco-Græcia, p. 22.

18 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

fastigium eveheretur. Illicò duplicata summa eò usque eundo crevit ex avaritia & rapacitate Quæstorum, publicos redditus procurantium, ut dudum in legem transierit, neminem, nisi munere amplo, & quod dignitati Regiæ aliquatenus respondeat, prius exhibito, in Pontificatu isto inaugurandum fore. Ita mali homines impiis largitionibus sibi posterisque servitutem adsciverunt, eò magis magisque dolendam, quòd post se trahat mala, quæ Græcanica Ecclesia in omne ævum luitura est. Quo quisque enim profligatissimus magis opibus abundat, eò causâ superior evadit, Ecclesiæ & conscientiæ pacem titulorum splendori affectata ambitione posthabiturus.

Omnes boni cupiebant totius Ecclesiæ curam, quam pro tempore precariò & per modum delegationis summâ laude administraverit Cyrillus, in illum tandem plenario jure collatum iri : sed ille amicorum, qui id strenuè egerunt, postulatis intercedens, dignitatem istam sub iniquissimis conditionibus, hoc est, aucto muneris pretio & *παρασις*² sive annuæ pensionis tributo, comparare noluit. Non defuere invidi, quorum oculos tantæ integritatis splendor præstrinxerat, malè conscii se vix tutos fore, nec impunè laturos, quòd nuperis novitatibus studuissent, qui pervicacissimè refragarentur. Horum ope apud Turcas, qui rem pecuniariam maximè curant, adjutus, Veterum Patrarum Episcopus, Timotheus, Patriarchale solium planè *ἐμβάρης*

² V. Horring. p. 555.

ascendit,

ascendit, pactum illud, dato pignore, ex integro præstiturus. Hâc re tam prosperè gestâ, dum ille, dum alii, quos habuit fautores, sese efferunt, lætantur, triumphant; cæteri, quibus hæc infamis & turpis simonia displicuerat, dolent, horrent, execrantur. Hæc dissimulavit Allatius, vir cætera maximus, & de Græcis literis præclarè meritis, sed præter omne jus fasque partium studio nimium quantum addictus, qui implacabili odio adversus Cyrillum agitatus, inanes rumusculos, meras fabulas, calidissima quæque mendacia, & calumnias, nullâ veri specie subnixas, pro oraculis venditare solet: eò quidem lubentiùs ac avidiùs, quo uberiorem calumniandi materiem suppeditent, ejusque memoriam nigrioribus maculis inurant.

Ingenti hâc licitatione Turcis charus redditus Timotheus, illorumque præsidio fretus, in quocunque, qui aut consilio aut opera impedimento, quantum in ipsis, fuerint, quò minus supremæ hujus dignitatis potiretur, impotenti æstu animi animadvertit, his aut fugatis, aut in ordinem redactis; Cyrillo maximè infensus, quasi cum ipso de Patriarchatu contendere auso, cui jam non ultra licuit Constantinopoli vitam incolumem agere. Ideo non multò post, Cyrillus se contulit in Wallachiam: an ex piissimo dissidia, quæ gentem istam, Græcæ Ecclesiæ alumnam, commiserant inter sese, componendi studio, an verò nummos ex effusa Wallachorum, qui sub Principibus suis, quietem ac pacem statis tributis annuisque pensionibus redimendam curantibus, procul ab omni tumultu rapinisque

20 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

Turcarum securi degebant, & etiamnum degunt, liberalitate colligendi gratiâ, quò afflictis Christianorum in Ægypto sua aut in Græcia, rebus melius succurreretur, an potius, ut sibi à periculis molestiisque illum oppressuris, si diutius Constantinopoli tunc temporis mansisset, quasi hâc fugâ caveret, planè incertum est. Indè Kal. Octobris 1613. eruditissimam & verè auream *de Græcorum fide, ritibus, & regimine Ecclesiastico*, item de *sectis Orientalium*, epistolam ad Johannem Vytenbogaert scripsit: quæ extat inter præstantium ac eruditorum virorum Epistolas Ecclesiasticas & Theologicas pag. 399. Amstelodami editas A. 1660. Illa verò maximo cum fructu legi poterit. Tandem verò variorum itinerum anfractu ad suos revertitur Alexandrinos. Timotheus, cui nihil jam ex Adversariorum prostratis viribus erat metuendum, per octennium & quod excurrit, summâ pace & otio fruitur, nisi de hoc uno fortasse aliquantisper sollicitus, quomodo ingens illud æs alienum, quod contraxerat, Turcis efflagitantibus, nec tamen differendis, dissolvi posset. Tandem ætate confectus fato omnium hominum communi cedit. Sed quid non fingit mens exulcerata, & ad maledicendum propendens, quo vindictam & odium exerat fortius? Non puduit^a Allatum famæ mendaci, quæ incautum credulumque vulgus non rarò decipit, sapientes verò rarissimè, fidem adhibere; Patriarcham ad mensam Batavici Ora-

^a De Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis perpetuâ consensione, p. 1074.

toris, adhibitum ferale istud poculum exhaustisse, & ne virus illud exitiale in venis diffusum torpesceret, pharmacis potentiori veneno infectis, Medico ad id sceleris exequendum mille aureis conducto, mortem acceleratam fuisse.

Jura hospitalitatis tam horrendo scelere pollui, aut his impiis artibus patere mentem ingenuæ simplicitatis amantem & dissimulandi nesciam, qualem præ se fert Batavorum gens, & mores naturâ insitos, & apertissimam humanitatem, quæ amicos hilariter quidem sine omni malo dolo tractare solet, exuere, re melius perspectâ, penè todebat dixisse. Sed *post epulas Josaphatus Archimandrita Andrius venenum propinaverat*, in hujus sceleris quasi mercedem & pretium Archiepiscopatu Chalcedonenſi donandus à Cyrillo, qui licet isto tempore procul abesset in Ægypto, in partem trahendus est. Quale hoc commentum & quàm absurdum, quod aliis se mutuò tollentibus suffulcitur! Cyrillum gratiam malè referentem, & omnis consilii stupidissimè expertem, illum, cujus malo ministerio usus fuerat, novâ hac dignitate spoliatum, fatellitibus Turcicis gutture priùs eliso in mare demergendum dedisse, & impium istum hominem, quem mala mens exagitaverat, totam rem aperuisse. Quibus verò! num illis ipsis Græculis, quibuscum confabulatus est Allatius? cujus vindicta nullos noverat fines, quin in mortuum inhumanissimè sævire usque gestiebat; hoc unicum magno cum molimine agens, ut Cyrillus, quem falsissimis spurcissimisque proscindit convitiis, omni pudore, fide, humanitate, reli-

22 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

gione vacuus & sceleratissimus habeatur.

Cyrillus consentiente Antistitum cæterorumque, ad quos jus eligendi, pro more, qui dudum obtinuerat, quoquo modo spectat, suffragio v. die Novembris A. C. 1621. renunciatur Patriarcha, freudentibus licet Græcis, qui steterant à partibus Romanensium, maximè verò Jesuitis, aliisque *Religiosi*, ut vocant, *instituti* zelotis, qui non contenti res suas & suorum sub præsidio Legatorum ejusdem Communionis securè procurare, pro innata, quam acuebat zelus, dominandi libidine alienam Provinciam, animo quidem res Græcorum interturbandi, invadebant. Malum hoc omen jam cessaturæ, quâ sese in gentem obnoxiam, & speciosis fictæ humanitatis & amicitiae officiis facilè deludendam, gratiæ, & moliminis subdendi Græciam ruituri videbatur iis, qui facili fide metuebant, Cyrillum, cui inerat invictum mentis cedere nesciæ robur, follers ingenium, indefessa industria & acerrimum vindicandæ avitæ religionis studium contra quascunque molitiones, quod antea satis experti sunt, non sibi defuturum; & quo majori apud suos polleret autoritate, eò magis sedulò curaturum, ut sublati, qui sensim gliscente superstitione obreperant, nævis, pristinus Ecclesiæ decor restitueretur. Ex metu odium, ex odio enascebantur conspirationes, summâ arte & ingenio elaboratæ, adversus Cyrillum de fama, de dignitate, de vita jam ab hoc ipso tempore periclitaturum, ut non ad dignitatem novam, sed ad novos labores, quibuscum deinceps confligendum erat, assumptus videretur.

videretur. Cùm enim id haberent perspectum, se adulatoriis artibus, simulatæ & infidiatricis amicitiaë specie, & aucupio commodi indè percipiendî, parùm aut nihil proficere, omnibus modis illum pessundare fategeruut, iis quidem, ut justa metuendî planè subesset causa, ne Christianum nomen in Oriente extinctum penitus excidisset: nec cessatum erat, donec illorum operâ & importunâ delatione, quâ nihil ad illum perdendum potuit excogitari efficacius, suspectæ & dubiæ fidei Turcis nimium credulis, istud crimen implacabiliter ulciscantibus, reditus, obstinationem cruentâ morte luisset.

Horum motuum initia & progressum, saltem per quinque aut sex priores Cyrilliani Patriarchatûs annos enarrabo, non tam ex historiâ omni fide dignâ, quam ab oculato teste Galatæ 1628. scriptam edidit D. Rivetus 1633. cujus veritatem frustra vellicat Allatius, quam ex schedis MSS. Anglicè exaratis, D. Thomæ Rowæi Equitis Aurati tunc temporis serenissimi Britanniarum Regis ad Portam Oratoris ordinarii, qui rem istam continuâ serie, & quidem longè cumulatiùs, multis, quæ istum Authorem latuisse videntur, additis, optimâ fide contexit. Eas, quas in Museo illustrissimi Viri, D. Gulielmi Comitiss Denbighiæ reperi, jam in compendium redigam, integras tandem aliquando in publicam lucem daturus.

Hujus verò nobilissimi Viri hoc qualequale breve elogium, suis meritis longè inferius, ut hic interponam, & pietas & gratitudo à me exigunt, duplici ex causa, tum, quæ mihi cum

24 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

cæteris communis est, qui illius thesauro literario uti norunt, ob codices Græcos & Arabicos manuscriptos quantivis pretii, quos redux in Angliam Bibliothecæ nostræ Oxoniensi dono dedit, tum, quæ me propius tangit, ob operam fidelissimè & strenuè admodum Constantinopoli navatam, cujus non mediocre subsidium & momentum ad hunc diem usque, quotquot ibi degunt, experiuntur. Vir erat subacti in rebus Politicis judicii, quod eruditio, studium, diligens rerum observatio & usus, variæque legationes in Germania, India, & Turcia summa cum laude obitæ consummaverant: literis etiam humanioribus insignis, & ingenio florentissimus, sed quem multò spectabiliorem reddebant sancti mores & incorrupta fides: animi quoque imperterriti, & qui nunquam passus est dignitatem, quam sustinuit, vel apud barbaras gentes vilescere: in legatione Turcica post varias cum periculo capitis, prudentiâ tamen summa administratas, concertationes, hoc tandem consecutus, ut sacrum illud jus Legatorum, quod arrogantissimi mortalium Vizirii antea per multos annos conculcaverant, ab omni violentia immune & integrum fervetur, & commercium mercatorium, quod admodum nutavit, eratque continuis Bassarum rapinis obnoxium, novis privilegiis & sanctionibus Imperatoriis muniat: & denique qui de Græca Ecclesia, ne malis quorundam artibus, quod unicè vellent, excinderetur, optimè meritus est, nec de hac sola, sed de universo orbe Christiano, cujus paci & commodo prudentissimè iverat consultum; quod

literis

literis ad ipsum datis, quas vidi, generosè admodum & gratanter agnovit serenissimus Polonorum Rex Sigismundus.

Cyrillus in hoc fastigio positus, nihil prius & antiquius habuit, quam universæ, cui præerat, Ecclesiæ prodesse, & rem Christianam sub Turcica tyrannide ubilibet oppressam prudentissimis consiliis sanctisque laboribus promovere. Interim invidiâ turgebant & ringebantur οἱ Ἑβραῖοι: tum Græci, quorum ignaviam & imperitiam ipsis tanti nominis splendorem ferre neutiquam valentibus, exprobrâsse videbatur, tum Jesuitæ, qui ex hisce initiis edocti, se suasque res, quas dudum in Oriente moliti sunt, vix in tuto fore, simultatibus, quas clam in pectore à longo tempore aluerant, in contumelias apertumque odium erumpentibus, favore & patrocínio Gallici Oratoris, illum submovere, inque ejus locum Gregorium Amasiæ Antistitem, τὸν μονόφθαλμον, qui, turpi obsequio, agnitâ Pontificis Romani potestate, ab illorum arbitrio penderet, substituere junctis consiliis operisque annisi sunt. Doluit illis, Cyrillum cum Legatis Anglico & Hollandico arctam necessitudinem coluisse, mutuæ charitatis & fraterni amoris officiis hinc indè redditis, qui eò magis exacerbati, & zelum Religionis tuendæ malignitati prætexentes, illum, infami Hæreseos, ex familiari eorundem conversatione contractæ, culpa notatum, tollendi speciosiore ansum captant. Quod cum per totam Urbem innotuerit, (neque enim res jam clanculum agebatur) quo sese & pacem Ecclesiæ contra hosce audaces perniciososque

26 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

fosque insultus tueretur Cyrillus, assistentibus quatuor Archiepiscopis cum reliquo Clero, quem pro more solenni in Ecclesia magna congregaverat, in Gregorium, irreligiosi ambitus manifestum, & ritè damnatum, excommunicationis sententiam tulit. Hâc censurâ ad incitas quasi redacti, & ab ipsa desperatione consilium fumantes, facinus horrendum & Christianis maxime propudiosum aggrediuntur. Coram Vizirio, quem muneribus corruperant, sistitur Cyrillus, à submissis delatoribus læsæ Majestatis postulandus, quod jamjam illius consilio insulæ cujusdam sitæ in mari Ægæo incolæ sese in fidem & clientelam magni Ducis Hetruriæ, cujus triremes, frustra reluctantibus Turcis, insulas illic sparsas maritimasque oras infestabant, essent tradituri. Hâc criminatione obrutus, frustra innocentiam suam coram iniquissimo Judice obtestatur Cyrillus; frustra testes in examen vocandos adjurat; frustra de ficti criminis falsitate importunis lamentis conqueritur; nil profunt preces, exceptiones legitimæ, argumenta, apologiæ; tanquam reus capitur, & à dignitate Patriarchali pulsus, jubente Vizirio, qui tum omnia potuit, (rebus miserè turbatis ob infelicissimum expeditionis Polonicæ sub Osmane Imperatore susceptæ, qui isto anno ^b Prætorianorum militum tumultuantium seditionibus amotus, inque carcerem *septem Turres* dictum, trusus, elisis faucibus strangulabatur, eventum,) mox Rhodum deportatur.

Jam Gregorio anathemate percusso, si per conscientiam liceat, licet per Vizirium solum vacuum occupare, modò ingentem summam viginti millia thalerorum pro stipulatione initâ soluturus sit. Græci verò, quibus tyrannica ista sedis Patriarchalis usurpatio maximè displicebat, missitationibus jam in acres querimonias & convitia conversis, grave hoc onus, cui planè succubuere, sibi irrogatum iri ægerrimè ferentes, detrectant quippiam ex privato peculio conferre, quo Turcarum rapacitati satisfiat: nullisque pecuniis, quas avidissimè expectârunt, Roma in subsidium allatis, facilè persuasum erat Gregorio, postquam per decem septimanas sese pro Patriarcha ostentâsset, ne perpetuo carcere aut morte, quasi Regium fiscum defraudaturus, malè mulctaretur, locum cedere commodè intervenienti Anthimo, Episcopo Hadrianopolitano, (ille enim inter egestatem & sordes Græcorum opes non modicas coacervavit) quem repetitis importunis precibus urserunt ad oblatam dignitatem amplectendam. Ambitioni velificaturus miser iste opes profundit; numeratâ Exactoribus Turcicis pecuniâ, jamque in Thronum adscitus, quidquid erat reliqui, à Græcis suis, assignatâ pro libitu proportionem, vi extorquet, armato milite, si opus fuerit, muniendus.

Hujus victoriæ fama, quæ Romam citò advolaverat, omni cum lætitia excipiebatur. Summis laudibus ad cælum usque quisque efferebat D. Philippum Harlæum, Comitem de Cesi, cujus heroicis virtutibus acrique promovendæ Catholicæ

28 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

tholicæ religionis studio effectum erat, ut Græcia, quæ hæcenus schismatis fovendi amore obstinatissima persisterat, jam quasi agnito errore victa & triumphata, manus supplices *atærnæ Urbi* porrectura videretur. Tanti nempe erat exulasse Cyrillum, ut hac de causa ab Urbano octavo in ipsis Pontificatûs initiis, literis biennio post hoc egregium facinus peractum Româ Constantinopolim missis, gratulationem & Apostolicam benedictionem meruerit Legatus ille Gallicus, in quibus in Cyrillum, jure sedis olim æmulum Patriarcham, & τὰ ἴσα πρεσβῆα obtinentem, acerbissimâ & maximè indecorâ indignatione invehitur.

Sed spes istæ, quas læti conceperant, in irritum cessere, plaususque & triumphi, quos perpetuos fore somniârunt, alternantibus providentiæ vicibus, quasi ex improvîso evanûere. Illustri enim Rowæus serenissimi Regis Jacobi, quem hæc de re consuluerat, jussu ^d opportunus advenit, & laboranti Ecclesiæ Græcæ & penè expiraturæ succurrit, violentiam Legati Gallici, quem, licet ingenio præfervidum, stimularunt

^c vi. Julii 1624. Quid autem Constantinopoli egeris, jam pridem plaudens laudibus pietatis tuæ Romana Ecclesia audivit. Filium illum tenebrarum & inferni athletam, Pseudo-Patriarcham, scimus, quæ calamitates perculerint, quantumque hæresi vulnus inflictum sit, dum venerabilem Patrem Antimum isti Ecclesiæ præfici curasti. Hujus dignitati dum favebis, existimabimus strenuo defensore non carere isthic rem Christianam. V. ad finem Codini, de Officiis & Officialibus Curie & Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Paris. 1648.

^d Hujus patrocinium, opem, & amicitiam omni tempore, quo Constantinopoli manserat Legatus, maximo tum suo tum Ecclesiæ commodo, expertus est Cyrillus, & gratus agnovit. V. illius Epistolam ad D. Georgium Abbatem Archiepiscopum Cantuariensem, apud Colomesium in Sylloge Epistol. p. 357.

Jesuitæ,

Jesuitæ, sufflaminaturus. Hoc ille alii que primum obtinuere, ut Cyrillo, quem à ficto crimine purgaverant, libertatis compoti Constantinopolim redeundi venia concederetur. Quo nuncio recreatus ille, festinat ad Urbem proficisci, quam Septembre repetiit, ibique privatis ædibus Galatæ sese occulens, ad declinandam invidiam & periculum indè oriturum, rerum secundiores exitus forti animo pacatisque affectibus præstolatur. Interim Græci frequentes accedunt salutandi causâ, omne obsequii genus illi, utpote vero Patriarchæ, deferentes. Quod cum intellexisset Anthimus, jam sibi usurpatæ potestatis satis conscius, partim conscientiæ stimulis exagitatus, partim metu, illum quoque omni cum debita humilitate clam adiit, fide datâ, modò Cathedram vellet resumere, se illicò a Patriarchatu, quem invasisset, cessurum, moxque à Patriarchio se proripuit, non amplius illic habitaturus. Cujus defectio ita exasperavit mentem Legati Gallici, sese hisce litibus immiscentis, majori, quam antea, zelo, famæ & dignitatis tuendæ, quam restituto Cyrillo apud omnes diminutum iri credidit, causâ, ut Jesuitarum consiliis inductus, Anthimum ad palatium suum accersiverit. Ibi coràm cum illo graviter expostulans, hominem animi nutantis & invalidi, partim largis pollicitationibus aggreditur, illum nempe sub protectione, de qua securissimum esse jusserit, Regis Galliarum tutum fore, seque, ut jus illud asseratur, quadraginta millia thalerorum erogaturum, partim minis, ut his machinis expugnatus Anthimus
planè

planè cesserit, ac novo vigore quasi animatus, dignitatem apud se retinere constituerit. Quo factò, illum, quasi res ista ab ipsius arbitrio pendisset, publico præconio Galatæ, quasi iterum renunciatum Patriarcham, & *Dragomanorum* sive Interpretum satellitio stipatum ad Ecclesiam Cathedralem reducendum curavit; insolentiâ planè inauditâ, & quæ ultra omnes tum prudentiæ tum modestiæ limites evagata est. Sed postquam rem sedatis affectibus & seriò iterum perpendisset Anthimus, veritus, ne si Cyrillus, illo invito, jussu Imperatorio restitueretur, crimen admissum, novo reatu ex obstinatione auctum, infamiam, carcerem, aut mortem post se traheret, inconsulto Gallico Oratore, planè mente consternatus, noctu Cyrillum denudò accessit, crimenque fassus, misericordiam ipsius humillimè imploravit, seque à munere penitus abdicavit, atque solenni voto suscepto, protestatur, ne intentatâ quidem morte, fallaciis quibuscunque in hac re nunquam pati se deinceps deludendum.

Tanto labore & impensis illi constabat Patriarchatum, vel per tres ferè menses, tenuisse. At ille metu & noxâ liberatus, jam mundi planè pertoesus, se in *montem sanctum* subducit, in Monasterio S. Athanasii, quod *Ἁγία Λαύρα*, honoris causâ, nuncupatur, reliquo vitæ tempore rerum cœlestium contemplationi vacaturus.

Solus jam remansit Patriarcha Cyrillus, non tamen sedi absque ingenti pecuniæ vi restituentus, quam Turcæ, ad lites injuriasque Græcorum inde consequentes alioqui parum adver-

tentes,

tentes, jure novæ investituræ exigebant.

Januario A.C. 1623. Calogerus quidam, nuper Monasterii præfecturâ donatus, Româ Constantinopolim appulit, Cyrilli hostibus fidem faciens, nummos inde submittendos, modò de Cyrillo deponendo illorum operâ certò constiterit. Sed res hæc intempestivè propalata citò in fumos abiit. Utcunque propositum assequendi illud arte & prudentiâ non omnem spem abjecere. Cum enim id apertâ vi nequicquam fieri tristi experienciâ edocti essent, quid effecturæ sint fraudes & versutiæ, experiri placuit. Sæpe enim fit, ut qui vim elato animo repulit, neutiquam expugnandus, blanditiis laxatâ mente cedat. Hâc methodo facilè quidem hoc negotium expediri poterat; quippe si pronas aures istiusmodi propositionibus adhibuisset Cyrillus, de illo actum fuisset, & sub violatæ fidei & pietatis infamiâ apud amicos laborâisset. Hac de causa Februario 1624. tres Emissarii Româ erant ablegati, quorum primus Berillus, Jesuita sagacis & subtilis ingenii, curaturus erat, ut Cyrilli ope & hortatibus, ad bellum cum Turcis gerendum incitarentur Cosaki, Patriarchæ Constantinopolitani authoritati in spiritualibus obnoxii: crimen, quod mille mortibus, si quispiam totidem vitis renovatis donaretur, apud Turcas, in læsæ majestatis reos quam maximè sævientes, erat luendum. Alteri, qui Laicus erat, viam sternere fœderi inter Hispanos & Turcas ineundo propositis articulis incumberebat. Tertius, Canacchius Rubeus Nauplius, in Romano Græcorum Collegio educatus, attulit instructiones,

manu

32 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

manu & sigillo Cardinalis Brandini munitas, de rebus cum Cyrillo Patriarchâ pacificè componendis; quarum summa hæc erat, *Pontificem Romanum animo satis prono inclinare ad erogandam non mediocrem pecuniæ vim, ut unio Græcæ Ecclesiæ fieret cum Romana; illum tamen non videre aliqualem huiusce ineundæ rationem, si verax esset, quæ de præsentî Patriarchâ spargeretur, fama, illum nempe negare invocationem sanctorum, cultum imaginum, transubstantiationem, quam ibi dolosè appellare placuit realem præsentiam Christi in Eucharistia, humani arbitrii libertatem, Conciliorum & Patrum auctoritatem, confessionis auricularis necessitatem, (confuso modo illum criminando hac articulorum strue, quorum penultimus omni veritate destituebatur: nemo enim Patres & Concilia secundum Scripturas majori in veneratione habuit) illum juvenes in Angliam & Germaniam educandos misisse, quo eadem dogmata per universum Orientem propagarentur, Catechismos ejusmodi erroribus refertos inter Antistites suos, quo morem gereret Legatis Hugonottis, distribuisse: denique si vellet illorum, qui Romæ degunt, gratiam & commendationem sibi acquirere, Florentinum Concilium amplecti oportere, ac Lutheranorum & Calvinistarum errores & blasphemias damnare & anathemati subjicere. Hisce auditis, Cyrillus Legati Anglici palatium petiit, quid sibi faciendum esset, consulturus. Proposuerat autem animo fidem, quam profitebatur, ad singulas criminationes respondendo, scripto tueri: sed ab hoc proposito, justis, quas allegaverat Legatus, rationibus convictus, destitit.*

Silentium

Silentium hoc in finistram partem, tanquam indicium obstinationis & contemptûs, interpretabantur Jesuitæ, qui diuturnioris moræ impatientes, quòd articulis isthoc auctoramento propositis non consensisset, ad assuetas artes redièrè; quosdam suarum partium Episcopos ad illum iterum à sede deturbandum, ad motis iræ stimulis facibusque, excitantes, oblatis viginti mille thaleris, ut quispiam ex ipsis in illa sede firmaretur. Hisce incalescentibus motibus, paululum secessit Cyrillus, donec amici ejus arcanum illud consilium totumque negotium, quod agita- verint Emissarii supra memorati, Bassis impe- rium isthoc tempore administrantibus patefeci- rint, quorum tamen vorax avaritia opimâ decem mille thalerorum offâ pro more explenda erat. Tanti aut pluris constat pax Ecclesiastica apud Græcos per hosce Ciniflones.

Græci sperabant se pacis, quam tam charo comparaverant, beneficio tandem frui posse: sed vanum hoc fuisse augurium tristis eventus mon- strabat. Nam de Græcia novis motibus agitan- dâ, quousque victoriæ vel minima spes affulse- rit, Romæ erat consultum. Ad eam certiùs & securiùs obtinendam, commodissimum visum est, Anti-Patriarcham, licet solo Suffraganei Aposto- lici titulo ornatum, mittere, adjuncto Quæstore, penes quos summa erat quidlibet, prout libitum fuerit, faciendi, quod ad rem magis conducere, facultas. Eadem de causa identidem multi ex ista communione titulo tenus creantur Episcopi, puta, Smyrnæ, Naxi, cæterarumque insularum, quos Græcis, gradu & ordine quidem paribus,

D

sed

34 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

sed ingenio & eruditione longè inferioribus, utpote subsidiis, quibus istiusmodi dotes & vitæ decora acquiri solent, destitutis, opponant. Suffraganeus iste longâ expectatione expetitus, Naxum tandem appulit, quo honoris & salutandi causâ missi erant à Legato Gallico Sacellanus ejus, titularis loci Episcopus, & duo Jesuitæ, ut inde majori cum pompa & splendidiori comitatu deduceretur. Proximè Chium appellit, ab insularis tantâ cum veneratione exceptus, ut ne majori quidem ipse Pontifex Romanus, cujus subibat vices, potuisset. Sed ille planè animi impotens, præ nimio fastu, quo tumebat, quantum posset, intempestivè ostentavit, omnia ad se pro arbitrio rapiens, ut non mediocri scandalum apud suos ex hac arrogantia & dominandi libidine oriretur. Græcis verò, qui hujus insolentiam, temeritatem, audaciamque non satis mirari poterant, suboluit de Ecclesiæ suæ libertatibus illicò actum fore, si in iis subvertendis ita impunè & absque omni impedimento dehinc procederetur : ideò mediantibus amicis, se ac sua tanto successu Vizirio commendârunt, ut periculi ex longiori morâ subeundi jam satis gnarus Suffraganeus iste, præcipiti fugâ, in quam metu exanimatus se dederat, satellites Turcicos vix tandem evasit : Episcopis novo vacuoque honore turgidis, quibus non suppetebat par elabendi copia, frustra intercedente Gallico Oratore, ne hoc malo infortunio afficerentur, in carcerem conjectis.

Græcorum rebus hoc modo pacatis, eo acrius mentes malevolorum ulsit hæc infamia, quòd
eam

eam neque ferre, neque ulcisci potuerint : indè dissimulatâ indignatione, sibi acquiescendum esse è re sua putârunt, usque dum rerum novandarum melior occasio sese obtulerit : quâ non diu se carere posse sub Turcarum imperio, qui vel leviuscularum suspicionum umbras captantes, quicquid novum aut insolens videtur, ne in detrimentum quoquo modo cedat, in sinistram partem interpretari solent, ingentis solatii loco habuêre. Quod penè expectato citius accinebat.

Junio 1627. Navi mercatoriâ, quæ Londino solverat, vestus, Constantinopolim venit Calogerus quidam, Nicodemus Metaxa, ortu Cephalenienſis, qui, cum advertisset, quantam popularium suorum mentibus caliginem ex ignorantia ortam longa servitus obduxisset, pietate erga patriam subsidiiis, quibus solet propagari eruditionis, mentem captivo corpore liberam effecturâ, studium, carentem motus ; prela, typos, reliquumque rei Typographicæ apparatus advehi curavit, ut catechismis enchiridiisque vili pretio vulgatis, si non eruditi, saltem in fide & doctrina Christiana magis instructi redderentur. Quo instituto nihil laudabilius, nihil sanctius, nihil fructuosius laboranti Græcæ Ecclesiæ excogitari poterat. Verentibus autem iis, quorum maximè intererat, ne tota sarcinarum moles à suspicacibus Turcis, hâc novitate offensis, diriperetur, Archiepiscopus Corinthiacus, jubente Cyrillo, Anglicum Legatum convenit, orat, obsecrat, obtestatur, ut eam, tanquam peculii sui esset, vendicaret. De re admodum difficili

36 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

& periculosæ aleæ plenâ aliquandiu erat delibendum : mox repetitis Græcorum efflagitationibus vinci se passus est. Quo modo id fieri possit, præsentibus Cyrillo & Gerasimo Patriarchâ Alexandrino, ac etiam Oratore Batavico, in ipsius ædibus in commune consulitur. Ille ad omnem invidiam & malam suspicionem amolendam consultius esse duxit, rem ipsam apertè & citra omnem ambagem, ut si quippiam malè successerit, omnis querimonix ratio cessaret & præcideretur, Vizirio referre : cujus permissu merx ista pretiosa rapaces Portitorum manus felicissimè evasit. Cuivis eorum planè perspectum erat, quantis difficultatibus & vix faciliè superandis negotium illud Typographicum subesset ex pervicacia & superstitione Turcicorum Judicum & Sacerdotum, qui pro zelo tuendæ superstitionis Mohammedicæ ad alendas injustas opiniones apti nati essent, ne Christiani editis libris contra illorum fidem quippiam occultè molirentur. Sed longâ maturâque deliberatione habitâ, ne indè periculum, justâ occasione datâ, oriretur, prudenti omnium curâ satis provisum erat.

Postquam verò Gallico Oratori & Jesuitis innotuerit, omnia jam parata esse, & de edendis libris Græcos Antistites seriò meditari, mille cogitationes mentibus illorum turbatis obversabantur, quasi jam Ecclesiam Romanam acribus invektivis essent impetituri, & mox publicatis in usum plebis facillimis Christianæ Religionis institutionibus, scholæ Jesuitarum adolescentulis Græcis, quos ex perquam laudabili instituto gratis erudiendos curaverant, magno applausu

Græco-

Græcorum, qui hâc benevolentia inescati, ad partes Romanensium quandoque incautè & suaviter transibant, destituerentur.

Hisce incommodis occurrere plusquam unius diei consilium erat. Primò Metaxam, operarum informatorem & ἑργοδιδάκτω, utpote qui artem hanc in Anglia satis probè edidicisset, omni blanditiarum genere aggrediuntur, quibus furdas obvertebat aures: deindè terribiles minas homini in os intentant, minisque admiscunt convitia, illum *Lutheranum & Hæreticum* appellando: sed hisce quoque telis pectus habuit impervium. Ea propter in Metaxam bilis illorum maximè excaudit, quod cùm sensisset, monitus quoque à quibusdam se de vita sive vi sive infidiis tollendum esse, impendentis periculi metu ita exhorruit, ut animo planè deficere videretur, lachrymis & singultibus D. Legatum rogans, ut singulis noctibus à Typographio rediret, in ipsius palatium reciperetur, præ ingenti scilicet metu, qui imis medullis resederat, ne sicariis conductis, si in suis ædibus pernoctâset, fracto gutture enecaretur.

En verò primitias preli Constantinopolitani! Cyrillus pro sagacitate sua, quatenus virum bonum famæque tuendæ cupidissimum decuit, præ studio sese à calumniis Jesuitarum, qui aures Græcorum perpetuis clamoribus obtunderant, illum nova dogmata à fide majorum aliena in Orientalem Ecclesiam introduxisse, vindicandi, *libellum sive de fide & doctrinâ Ecclesiæ Græcæ, sive Expositionem in Symbolum Nicænum*, typis imprimendum dederat, quem, longè antequam appel-

38 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

leret cum supellectile librariâ Metaxa, maturimâ deliberatione compositum, in Angliam, ut id publici juris fieret, transmittendum in animo habuerat, & mortuo serenissimo Rege Jacobo, ejus augusto nomini inscriberetur, eundem jam sub nomine & patrocinio Regis Caroli primi, fortissimi Ecclesiæ Anglicanæ usque ad sanguinem Assertoris & Athletæ, beatissimæ & immortalis memoriæ, apparere voluit. Sed Zelotæ Pontificii, ne hoc in maximum Romæ & Galliæ dedecus cederet, malè metuentes, ad rabiem jam adacti, nova consilia adversus Cyrillum, qui id ausus fuerit, ineunt, quasi parum esset prelum illud infame evertere, nisi illum dignitate & vitâ simul quoque exuissent. At! at! Quis Viros Nobiles, Religiosos, Gallos, quibus non adeò benè convenit cum Romanæ Curiæ placitis, Christianos denique, facinus impium, turpe, irreligiosum, & Christiano nomine indignissimum moliri crederet? Quid verò non cogit facerrimi zeli infania! Cùm enim alius Cyrilli liber in illorum manus, diligenti curâ quæsitus, in Anglia pridem editus, tandem incidisset, in quo beatissimi nostri Salvatoris D. Jesu Christi divinitatem contra Judæos & Mohammedanos adstruxerat, quicquid acrius dictum adversus horum præsertim deliria, qui hoc necessarium Christianæ fidei dogma risu & sannis excipere solent, disputaverit, accuratè excerptum, nimirum quod bilem moveat Turcis, quibus totum illud horribile arcanum revelandum curant, ope ejusdam calidi nebulonis, apud Vizirium summâ gratiâ valentis, quocum propositâ mercede

cede egere, ut hâc, si Dis placet, infami & blasphemiarum plenâ chartâ in ipsius manus traditâ, simul in aurem diceret, Metaxam sub Monachali habitu militem agere, illumque esse artis bellicæ peritissimum; facilè hisce instrumentis typographicis falsas monetas cudi, & sigilla, literasque Imperatorias sub specie vera, nec à quoquam absque molesto examine in variis regionibus Constantinopoli dislitis retendas, versutè repræsentari posse; saltem libris hic editis, Græcos ubi ubi per imperium sparfos ad seditiones incitari quoque posse, & ad fidem Alcorani oppugnandam facilem patere viam; cujus rei libellus iste Cyrilli clarum erat indicium specimenque; hujus copiam, procurante Metaxâ ex Anglia reduce, jamjam ubique proflare venalem; totum hoc artificium conscio, imo miris modis favente Anglico Oratore, administratum; denique exemplaria nuperrimè inter Cosakos distracta fuisse, ut illi, mox abfuturo Imperatore, qui isthoc tempore expeditionem in Asiam meditari visus est, ad opportuniùs invadendum imperium, spissis argumentis à religione petitis, impellerentur.

Hisce auditis, credulus admodum Vizirius, nullo prævio examine habito, an quippiam veri aut falsi impactis criminationibus subesset, (primo enim impetu omnem deliberandi curam suffocari peculiari vitio gentis frequenti usu venit) præ irâ & indignatione, quam tuendæ religionis zelus & imperii cura in animo accenderant, certus Metaxam, effractis ipsius ædibus, in quibus hæc mala cudebantur, in ipso actu

40 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

deprehendendi, mandavit ordinis militaris ductori, ut centum & quinquaginta Janisariis in subsidium sumptis, rem istam sedulo curaret. Ingens hoc & præclarum facinus quarto die Januarii erat peragendum, quod biduo, procurante Gallico Oratore, consultò differebatur: intellexerat enim, solenni Epiphaniarum festo ab Oratore Anglico Venetæ Reipublicæ Legatum, ejusdem cum Gallo Romanæ communionis, sed longè mitioris ingenii, salvo inter utroque amicitiae jure, licet in quibusdam apiculis, ad essentiam religionis minimè pertinentibus, ipsis neutiquam convenisset, Patriarcham Cyrillum, aliosque è primoribus gentis Græcorum, ad convivium invitatos fuisse. Adulto jam die, ad hilaritatem istam superveniente incommodo & dedecore interpellandam, armati milites ædes Metaxæ occupant, à quibus ille isthoc tempore auspiciatissimè aberat Galatæ, nescius, quantum periculi ipsius capiti & fortunis impenderit inter redeundum, Oratoris Secretario comitante. Licet aliqui illum digito monstraverint, aliis tamen ob galerum, quem gestabat, eum esse Anglum, & ex familia Oratoris asserentibus, per medios milites in platea ferocientes elapsus, tandem palatium ingreditur penè exanimis. Ductor iste, amissâ, cui maximè inhiabat, prædâ, famulos, quos conduxerat Metaxa, manibus ad tergum revinctis, captivos detinet, arcas effringit, officinâ, tot tantarumque machinarum arce, accuratissimè lustratâ, quicquid inibi reperiri potuit, prela, typos, libros, papyrum, argentum, miscellamque supellectilem statim corripiens,

piens, spoliis istis, quæ ad summam septem mille thalerorum excreverant, onustus, Constantinopolim revertitur, rerum gestarum rationem Vizirio redditurus. Cyrillus læsæ majestatis postulatus, pedem efferre non ausus, illic pernoctavit, donec, re melius explorata, Turcarum ira deferbuerit. Die proximè insequente, Vizirius, convocatis Turcicis Sacerdotibus, iis examinandum commisit feralem Cyrilli librum, blasphemiiis contra Mohammedem, quod illis à morione supra memorato persuasissimum erat, scatentem : paginam, ne oculos effugeret, ante plicatam, interpretantur duo Græci Apostatae. Cognitores loca & argumentorum circumstantias exquirunt, judicant, perpendunt, examine, prout credere oportet, subindè repetito. Tandem convicti fatentur, nihil inde exsculpi posse, quod per leges vel Authorem vel Typographum in periculum capitis adducat. Discussio jam metu, innocentia suâ fretus, coram Vizirio isto die comparuit Cyrillus, ut fictas criminationes dilueret. Perendie Legato Anglico consultissimum videbatur audientiam à Vizirio rogare, tum ut de injuriâ illata exposcularet, tum ut suspiciones quasdam de Metaxa conceptas nondumque planè depositas amoliretur. Concessâ adeundi facultate, Vizirium primò puduit temeritatis suæ, deindè prolatis sermonibus dixit, se impudentiam eorum, qui meras imposturas, figmenta, & fabulas ipsi nimium credulo obtruserint, non posse satis mirari : & mox curaturum, ut bona quæcunque ante triduum expilata, si salva fuerint, restituerentur. Occupatâ
Vizirii

42 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

Vizirii gratiâ, qui jam, ut olim, de illo optimè & honorificè sentiebat, eadem, si non major, sollicitudo remansit animos Sacerdotum Turcicorum, quasi ad religionem illorum evertendam conspirasset, pacandi, ut res tum suæ gentis, tum Græcorum, quas nuperæ tempestates agitaverant, in tuto collocarentur, Mustium quoque adire placuit. Post, hisce gravissimis injuriis provocati, Legatus & Patriarcha, ille, eò quodd omnem ipsius existimationem sparsis ingestisque calumniis, non in ipsum solum (has enim generoso & forti animo contempsit) sed in Regem, quem Cannacchius, pridie ante expilationem totius supellectilis librariæ, colloquiis cum Cyrillo habitis, *Hæreticorum caput* appellasset, apud Turcas adimere molirentur; hic, quodd vitæ ipsius insidiarentur, justæ indignationi paulò indulgere, & facilè apud Vizirium impetrârunt, quicquid in contrarium intercesserit Gallus, ut Græcus iste & Jesuitæ, hujus conspirationis architecti, in carcerem conjicerentur. Quos omnes laqueo ab irato Vizirio destinatos, supplicatione interpositâ, Anglicus Legatus, misericordiâ & reverentiâ erga Christianum nomen, quod dehonestaverant, simul commotus, à pœnæ capitalis jamjam infligendæ periculo eripuit, sententiâ ista damnatoriâ in mitiorem conversâ, ut Jesuitæ isti Constantinopolitani unâ cum suis sodalibus, tanquam pacis publicæ conturbatores, motuunque nuperorum promotores ab imperio Turcico expellerentur.

D. Rowæo jam brevî patriam repetituro, succedebat D. Petrus Wichius, equestri dignitate ornatus,

ornatus, præclarissimis verò animi dotibus longè ornator, cui res Græcorum æquè cordi ac curæ fuere, & qui Cyrillum eadem benevolentia & amore complexus est. Ille verò rogatus, ad reddendas amicitiae vices, & in affectus, quo Ecclesiam Anglicanam persecutus est, indicium, Legati filium Constantinopoli natum, hodiè superstitem, & tanto Parente dignissimum, imposito suiipsum nomine, sacrum baptismatis ritum Anglico Sacerdote, Legato à sacris, peragente, de lavacro lubens suscepit. Sed cum hujus literas (heu toties frustra quæsitae) in Angliam, dum legatione istà Constantinopolitanà fungeretur, de statu Græcorum scriptas, obtinere non liceat, reliquam historiae, quam exorsus sum, seriem ex aliorum schedis & collectaneis pro virili pertexam.

D. Cornelius de Haga, Batavicus Orator, partium Cyrillianarum egregius quoque fautor, confessionem fidei Latine scriptam, quam Græcè editurus esset Author, si per nuperas tempestates, quæ universam rem Typographicam illius loci jacturà irreparabili absorpserant, licuisset, in orbem Christianum transinisset publicà luce donandam. Ut verò omnis justæ suspicionis ansa tolleretur, an Cyrilli fuerit necne; licet Cyrilli nomen præ se tulerit, ad finem ipsius, nomine & titulis, qui fidem vel à maximè timidis & ad malas suspiciones pronis extorquerent, appositis, rem signantissimè attestatur amplissimus Orator. Editæ erat A.C. 1629. cum hoc titulo, *Confessio fidei reverendissimi Domini Cyrilli, Patriarchæ Constantinopolitani.*

Ex

44 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

Ex hoc classico exhorrescere visa est Roma, ac si bello indicto hostis jamjam instaret portis. Primo quidem merâ fraude Protestantium orbi obtrusam esse geminatis vociferationibus quiritantur; Oratorem Batavicum publicâ suâ auctoritate abuti, calumniis subinde ingestis, exclamant, omni fide, quam jus gentium ejus testimonio deberi spondet exigitque, abnegatâ: hoc leviculo prætextu, solis fatuis & obesâ naris hominibus persuasuro, verisimile parum videri, *Græcum Latine scribere aut velle aut posse.* Utcunque Matthæus Caryophilus, genere & ortu Cretensis, titulo tenus Archiepiscopus Iconiensis, nescio an sponte, aut jussu eorum, ad quos *propaganda religionis cura* ex officio spectabat, responsionem paravit hoc titulo: *Censura confessionis fidei, seu potius perfidiæ Calvinianæ, quæ nomine Cyrilli Patriarchæ Constantinopolitani circumferatur*, Romæ 1631. quam sequente anno Græcè edidit.

Postquam intellexisset Cyrillus, confessionem ore omnium celebratam varias subiisse censuras, sua quam maximè interesse putavit Januario 1631. Græcè conversam, cum quatuor quæstionum & responsionum appendicè sibi vindicare. Ea postea, nempe anno 1633. Genève procudabatur. Ab hoc tempore omnis malæ suppositionis suspicio evanuit: neque jam amplius quisquam dubitaverit, an genuinus Cyrilli habendus esset partus. Suum esse, interrogatus agnovit, nec dubitanter aut meticolosè, sed tamen modestè; & licet, animo constanti, tamen absque omni arrogantia notâ & indicio. Neque enim
eum

eum rem, cujus singula momenta perpenderat, negare aut dissimulare siverunt aut probitatis studium aut veritatis amor: & iudicium firmavit dies: nullis enim periculorum denunciationibus, nullis argumentis, blanditiis nullis, ne intentatâ quidem morte, quam postea fortissimè subiit, ad retractandum flecti potuit: quod ex vita secutura abunde patebit. Jam illustre exemplum dabo, quam firmâ mente fuerit, & quam sibi benè constaret, in mediis difficultatibus & angustiis positus, quæ quemlibet alium, propositi minus tenacem, dimovissent. Quod ex literis D. Cornelii de Haga Januario xvij. 1632. Constantinopoli datis exhausti, qui rem istam fide sua hoc modo narrat.

Dicit, Cyrillum, honoris & gratulandi causâ Gallicum Legatum, Comitem de Marca Villa, qui nuperrimè Constantinopolim advenerat, invisentem, omni cum observantiæ & benevoli affectûs demonstratione ab eodem exceptum fuisse. Colloquio linguâ Italicâ inito, Patriarcham titulo *Eminentia & Eminentissimi Domini*, qui pro more non ita pridem introducto Cardinalibus ex peculiari Pontificis gratia & jussu competebar, insignire pro aulicâ comitate Legato placuit. Post prandium, Legatus porrectâ manu ipsi ostendit *Confessionem fidei*, quam dixit se à Legato Gallico, qui Romæ residebat, accepisse, Pontifice sive ordinante, sive consulente, ut Cyrillum vellet sciscitari, an composuerit, & si in eadem sententia permanferit. Libello in manus sumpto, postquam diligenter inspexisset Cyrillus, fassus est se fuisse Authorem; citra moram addens,

46. Narratio de vita, studiis, gestis,

addens, illos, antequam ad iterandam alteram quaestionis partem, hoc est, an eadem planè adhuc dum sentiret, pergeretur, errores; si qui fuerint admissi, ex Scripturis demonstrare oportuisse: ante quingentos annos Ecclesiam Gracam à Romana secessionem fecisse; nihil sibi esse cum Papa, neque ad rationem Pontifici adpostulanti, aut cuiquam, qui ejusdem auctoritate fultus exegerit, reddendam aliquo jure obnoxium; ipsius jurisdictioni plusquam centum Metropolitae & Episcopos, praeter ingentem minoris dignitatis Clerum, subesse; quibus satisfaciendis, si opus fuerit, legitimam totius Ecclesiae Synodo convocata, semper fore paratissimum, & quicquid de hisce rebus controversitur, Scripturis sacris & priscis Patribus referre decidendum.

Replicavit Legatus, Romae & etiam in Gallia Eminentiam ejus pro Calvinista haberi: Regem Christianissimum, Dominum suum, istam sectam odio habere; & opto, inquebat, Eminentiam vestram fore, quod ad religionem spectat, Romano-Catholicam, qualis est Rex Christianissimus, cujus gratiam & munificentiam hoc modo promereri licebit. Sapientissimo & fortissimo Patriarchae non opus erat longâ deliberatione, quid sibi esset respondendum: quod citra omnem verborum ambagem citissime fecit, se nimirum in rebus maximi momenti, in quibus fides & aeterna anima salus vertebantur, neque Regis Galliarum, neque cuiuspiam alius, consilium aut exemplum temerè secuturum, neque quicquam facturum, nisi directrice conscientia praecunte. Mox finita disceptatione, summis gratiis D. Legato

ob

ob humanitatem, quâ lautissimè exceptus fuerat, actis, discessit : sed ne quippiam sinistri ex hisce colloquiis in mentes eorum, quorum benevolentiam sibi fore integram summoperè studebat, irreperet, Legatis Reformatæ religionis reliquitque totam rem nudè & planè aperuit.

Nullus dubito, quin *ἡ καλὴ ἐμολογία*, sive *hæc proba & generosa professio* coram Legato Gallico reddita, cujus quoque erat, quoad vixerit, retinentissimus, apud omnes veri amantes, quibus citra præjudicium aut affectum rem explorare integrum erit, valitura sit ad ipsius vindicias contra quasunque criminationes, quibus ab hostibus, quos flagrans iste zelus veritatis defendendæ ad invidiam & odium planè irreconciliabile contra humanitatis & Christianæ charitatis jura extimulaverant, iuapetebatur. E supra dictis ultra omnem cavillandî aleam satis constat, studio ac arte quam maximè laboratum fuisse, ut à fide & mentis, quam tenuit, constantiâ dimoveretur : neque æquis rerum æstimatoribus minus consistere poterit, illum, si rem turpem, h. e. questum, & seculare commodum, & quietam longamque dignitatis possessionem vel minimum curasset, simul atque nisi animum adversus omnes blanditias ac comminationes obfirmasset, spretis quibuscumque aggressionibus, à quibus nunquam cessatum erat, ut tandem lassatâ vel victâ patientiâ cederet ; denique nisi solo veritatis amore & conscientie stimulis excitus, hæc omnia fecisset, facillimâ quidem operâ vitam, otium, & famam quoque redimere potuisse : & procul ab omni læsæ majestatis

48 *Narratio de vita, studiis, gestis,*
statis suspicione, integrâ fide, apud Turcas, senio
confectum, siccâ morte ex hac vita decessisse.

Unicuique sententiam suam jam proferre licet,
an * D. Grotii criminatio, quod *hanc fidei formulam*
è cerebello effinxerit Cyrillus, pretio inductus, vel
consiliis externis & politicis hac in re abreptus,
aliquâ vel minimâ veri specie suffulciri possit.
Amplum sanè præmium retulit tantorum labo-
rum : sed quale ? non opes congestas, non ipso
usu evanescentes mundi delicias, sed pacem con-
scientiæ, sed martyrii coronam. Num ex An-
glia & Hollandia missi erant nummi, ut causam
suam apud Turcas, qui magis munerum quam
justitiæ amore & intuitu controversias decer-
nunt, felicius tueretur ? ne teruncius quidem.
Non dixerit D. Grotius, Romanum Pontificem
nullos in hac causa oppugnanda fecisse sumptus.
Quinam illi, qui tot nummorum sacculos sup-
peditaverint ? sanè ne hostium violentiâ oppri-

* In discussione Rivetiani Apologetici Irenopoli 8°. 1645. p. 10.
Sumenda est Ecclesia Græca, non qualem ex suo capite Cyrillus nuper
inductus pretio confinxerat : sed qualis est revera, qualem nobis exhibent
scripta Jeremia, & decreta nuper facta, Patriarcha Parthenio
cæui præsidente. Vide, quæ ad hæc responderit Rivetus in hujus
discussionis dialyse, Sect. vii. n. 4. p. 236, 237. qui Grotium acer-
bissimè insectatur, quod in Cyrillum infenso fuisset animo, non aliam
ob causam, quam quia verum Christianismum asseruerat, & auctoritate
sua in Oriente propagaverat. Utinam hæc à reverendo viro mansueti
ingenii, ac pietatis & doctrinæ laude olim admodum celebri, non
excidissent !

[†] *Cyrillum illum Constantinopolitanum novi pridem & ille me. Doleo*
illum consiliis externis, politicis sanè, non Theologicis, ad ea abductum,
quæ si fecisset Papa, jam illum apertè κατὰ δουλεύειαν τῶν κλήρων,
omnes Scholarum, omnes Basilicarum parietes resonarent. Grotius in
voto pro pace Ecclesiæ, 8°, 1642. pag. 57. Vide Responsionem
Riveti ad hanc criminationem in Apologetico contra Grotii votum,
pag. 110, 111. & in examine Animadversionum Grotii, pag. 53.

meretur,

meretur, ad Legatos Anglicum & Batavicum se contulit Cyrillus, illorumque opem & patrocinium imploravit; hi verò, non tam partium studio, quam justâ Christiani nominis reverentiâ moti, nihil, nisi quod summa ratio, prudentia, charitas exegerint, nihil, nisi quod se & provinciâ, quam sustinebant, dignum fuerit, præstitere. Non horum amicitiae procurandæ causâ de Græcia reformanda cogitavit ille, cui Romanensium errores à multis annis, antequam ipsis innotesceret, displicuerant: non lucri spe, quæ sanè nulla erat, nec esse potuit, multo minus pretio conductus: (quis enim sanæ mentis compos, si per conscientiam liceret, vexatissimis ærumnis & molestiis sponte & avaritiæ causâ implicaretur?) quod comminiscitur D. Grotius; de quo Viro maximo & de literis omne genus optimè merito utinam longè justior & verisimilior suspicandi causa non suppeteret, hanc injustam criminationem tam ex immoderato conciliandi dissentientes in rebus religionis, magno cum dispendio veritatis, amore & studio, quam ex nimio erga Jesuitas, quorum gratiam omni modo, & potissimum conculcato Cyrillo, inire voluit, affectu processisse.

At D. Grotius cum Cyrillo paulò humanius egisse videbitur, si respiciamus, quam hostili animo, quam iniquissimis censuris horrendisque calumniis illum tractaverit D. Arnaldus. Quis crederet virum, merito suo maximi nominis, injustæ indignationi habenas laxare posse, & tanto cum impetu extra omnes Christianæ inordinationis limites se velle abripere? In dogmata Cyrilli

E

pro

50 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

pro zelo, quo fertur, acritè animadvertere licuit, quod nemo vitio vertisset: at illum in personam fœvire, & indignissimis ac spurcissimis convitiis Viri optimi famam proscindere, solius Allatii testimonio fultum, hoc est, quod ipsi objicimus, quod exprobramus, quod meritò querimus. *Suspectæ* fidei & ad convitiandum propensissimo testi, qui sibi hoc dari negotium credidit, ut falsis criminationibus exagitaret Cyrillum, non ita facilè fides erat adhibenda. Duos integerrimos Viros, titulis, gestis publicis, & muneribus tam in patria quam foris in exteris regionibus illustres, Græculo opponimus, qui motâ hisce concertationibus Græciâ coram aderant, quorum testimoniis jam à me productis de Cyrillo ab his fictis criminibus purgato, annon magis credendum sit, omnibus relinquo perpendendum: nec mihi hæret, quin mitioris ingenii, probæque ac ingenuæ indolis homines vel Romanæ Communionis, potissimum splendidioribus natalibus orti, & paulò liberius educati, pro iis, quos dignitas & fides & rerum gestarum cognitio testes maximè idoneos & omni justâ exceptione superiores efficiunt, non obstante religionis dissidio, contra Allatium sententiam sint lataturi. Quia verò 'D. Arnaldo visum est detestandæ dissimulationis crimen Cyrillo impingere, eo quod ritus Ecclesiasticos, quos superstitionis damnaverant, in sacris peragendis, pro institutis Ecclesiæ Græcnicæ, retinuisset, jam ipsius conscientiam appello, annon multi ritus in Ecclesia Romana ad

^f La perpétuité de la foy livre 4. chapitre 11.

hunc diem superſint, præſertim in Officio Miſſæ, quos ſuperſtitionem vanamque pompæ affectationem redolere, utpote veræ religioſi cultûs indoli parum congruos, novit & fatetur : & quos ad religionis hiſce officiis dehonestatæ decus melius conſervandum cupit amotos ? a quibus tamen utendis credo illum non abſtinere, hac de cauſa, eo quod Eccleſiaſticis ordinationibus, quæ à longo tempore ubique obtinent, & apud omnes in uſu ſunt, morem gerat ; & an patienti animo laturus ſit, ſi quiſpiam indè pro certo ſtatuat, illum contra conſcientiam, quoties ſacrum facit, agere, & pro inſigni hypocritâ eſſe habendum ?

Quæ Bethleemiticæ Synodi Aſſeſſores, (ſive potius libelli, qui illorum Decretis præſigitur, Scriptor) de Cyrillo nuper retulêre, tantâ abſurditate laborant, ut non poſſim non mirari ineptam illorum confidentiam, qui iſtorum temporum hiftoriam & rem facti novis audacibuſque commentis, quantum in illis eſt, corrumpunt pervertuntque^s, nimirum *Cyryllum neque in Synodo, neque in Eccleſia, neque in ædibus cuiuſpiam Orthodoxi, nec publicè nec privatim ea aut dixiſſe aut docuiſſe, quæ ipſi adſcribuntur ; hæc eſſe amicis, qui illum familiaritèr norant, planè incomperta ;* * nullum ſcriptum ejus, * Pag. 34. *chirographo munitum, quippiam huiuſmodi continere, & jam ſibi ipſis adeſſe mille teſtes τ παρρησιασικὴς εὐσεβείας Cyrilli, qui aſſerunt illum ab omni Hæreſeos labe immunem*

* Synodus Bethleemitica Pariſiſ Anno 1676. pag. 33.

52 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

esse : hoc est, quod nihil eorum, quæ sub ejus nomine publici juris fierent, in ejus mentem venisset. Quæ adeò frivola, puerilia, & falsa sunt, ut ex supra dictis patet, ut non aliqua refutatione egeant. Addunt, spissum librum Cyrilli propriâ manu scriptum superesse, in quo continentur homiliæ, quas diebus Dominicis & festis Constantinopoli pronunciaverit, πᾶν τὸναντίον ἀποφαινόμεθα τοῖς ὑποβόλημαίοις ἐκείνοις κεφαλαίοις, *doctrinam istis supposititiis capitibus*, h. e. confessioni fidei, *contrariam declarantes*. Ita hi præclari innocentiae, virtutis, & orthodoxæ pietatis Cyrilli assertores : nempe οἱ ἐναντίοι sive hæretici, ut orbi palpum obtruderent, nomen & auctoritatem Patriarchæ confessioni ab ipsis effictæ, illo planè incio, illo repugnante & contrariam doctrinam docente, pro vanitate & vanitæ suâ prætexebant. At! at! vecordiam hanc quis non obstupescit? quasi res coram mille milienis testibus per plures annos transactæ mera essent somnia, fabulæ, & imposturæ. Non pudit Cyrillum editæ confessionis, quam sine omni metu, imo non sine quapiam modestâ exultatione & placido gestientis animi sensu coram omnibus, ut suam, ad mortem usque vendicabat. Hæc enim sola, ut dixi, inimicitiam, odium, asperissimas molestias, exilia, mortem denique ipsi conflavit. Miserum & stupidum Cyrillum, qui, cum hæc omnia, rejecto libello subditio & spurio, effugere potuisset, innocentiam alienis criminibus commaculare, & sub tali infamia carnificis manu mori gestiebat! Benè interim succedit, quod horum Synodicâ sententiâ Cyrillus orthodoxus,

doxus, pius, & innocens habetur. Non jam in dubium vocabo, utrum spissus ille Homiliarum liber sit Cyrilli necne: quod tamen merito quidem & absque omni injuriâ fieri potest. Veruntamen pace eorum dixerim, nihil in istis ἐκλογαῖς, quas publicæ luci donarunt, exceptâ unicâ (modo in hac quoque edendâ malam fraudem non adhibuerint, unicum aut alterum vocabulum, quod à prototypo abesse poterat, immittendo) occurrere, quod τοῖς ὑποβολιμαίοις κεφαλαίοις, uti confessionem Cyrilli falsissimè appellant, contradicat & refragetur. Lectoris patientiâ abuti videar, hisce nugis falsi revincendis tamdiu immorando. Quod verò objiciunt cum aliqua veri specie, neque Episcopos, neque reliquum Clerum, qui Patriarchæ perpetuò adsistunt, ista capitula aut novisse, aut manu subscriptâ approbasse, quod quoque urget ^h D. Grotius, justam responsionem suppeditant eadem literæ D. Cornelii de Haga, fide sua rem compertam enarran-

^h *Cyrillus ille, cujus meminit D. Rivetus, rectius fecisset, si Græcis ad magnas calamitates non addidisset aliam ex novo schismate, cui, quantum in ipso fuit, causam dedit improvida mutatione sine synodico consensu. Grotius in Animadversionibus in Rivetum.*

Credenda definire Papæ non solent, nisi in Conciliis Universalibus, aut si ea haberi non possunt, cum consensu tali, qui ad Concilii Universalis auctoritatem proximè accedat. Contra quam nuper fecit Constantinopoli Cyrillus, qui sine Patriarchis, sine Metropolitibus, sine Episcopis novum nobis propinavit Symbolum. D. Grotius in append. ad Comment. de Antichristo. Amstel. 1641. p. 49.

Cyrillus ille, de quo hic agit D. Rivetus, absque Synodo, absque Patriarcharum, absque Metropolitanorum consensu fidem ritusque Græcos mutare voluit ad Calvinisticam formam. Nonne in eo sibi arrogavit, quod erat plarium? Itaque factum ipsius non modo Græcam fidem adulterantis, sed & sibi usurpantis, quod erat commune, meritò damnavit infecta Synodus. Idem in discussione Rivetiani Apologetici. 1645. p. 87.

§4 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

tis, vix aut ne vix quidem aliquem isthoc tempore è Metropolitæ cæterisque Antistitibus Græcæ Ecclesiæ, qui multi & frequentes Constantinopoli aderant, reperiri potuisse, quin se fortunas, vitam, & quicquid vitâ charius haberi possit, pro Cyrillo, inque ejusdem confessione tuendâ, si opus foret, prodigere aperto ore professus fuerit. Sed omissâ Apologiâ, quam jam non ex professo molior, eam aliis relicturus, ad seriem narrationis intermissam redeo.

Cyrillo, licet jam victi & triumphati viderentur hostes, pax planè incerta & infida erat : ad nova enim prælia continuò vocatur.

Intercedente modico tempore, Româ Constantinopolim missi erant duo ex Græcis Antistitibus transfugis, unus Sophiæ Metropolita, alter Achridarum, eo fine, ut rebus denuò agitatæ Cyrillus è cathedra pelleretur, aliusque, modò Romanæ fedi debitum obsequium esset præstiturus, utut vitâ, moribus, animique dotibus inidoneus, in ejus locum succederet. Hos in ædibus suis excepit Gallicus Orator, cujus patrocínio ac tutelâ fisci, rem, cujus causâ illud iter suscepissent, protinus aggrediuntur. Cyrillum primò atrocibus dicacibusque convitiis insectantur, non alio titulo in privatis colloquiis, quam *Hæretici, Lutherani, Infidelis*, dignandum : deinde Metropolitæ, qui à Cyrilli partibus steterant, palam & seriò minitantes, se post receptas directrices literas, quas expectarunt, Patriarchatum a Turcis, pactâ annuâ pensione, conducturos. Obortâ hac novâ tempestate, Cyrillus, consultis prius Episcopis & Græcæ gentis Proceri-

Proceribus, qui alacres promptique in eandem sententiam consenserint, è re tum suâ, tum Ecclesiæ esse judicavit, quid jam novi hospites ex condicito molirentur, Vizirio patefacere.

- Sed cum specialem horum tumultuum per insequentes annos sibi invicem cedentium notitiam ex nostratium chartis authenticis comparare hæcenus non contigerit, curiosum Lectorem ad appendicem Hottingerianam remitto, è quâ pauca delibabo, quibusdam tamen insertis aliundè acceptis. Post tot varios conatus, motus, tumultuationes, à quibusdam Metropolitæ agitata, & consilia, quæ ex Cyrilli & amicorum vigilantia & cura, sive potius ex misericordi Numinis providentia, in irritum cessere; mense Octobre 1633. Cyrillus Contarius, Berrhœensis Episcopus, pecuniis, quas, ordinante Cyrillo, cujus literis munitus erat, quo Ecclesiæ necessitatibus melius subveniretur, peragratâ Moscoviâ, aliisque Græcæ communionis regionibus, collegerat, Patronum optimè meritum ab illius sede movere ingratißimus mortalium fatagit, exutâ veterum beneficiorum memoriâ ex indignatione & tœdio novæ repulsæ, quam nuper ab eodem passus fuerat, ob negatum scilicet, quem petierat, Archiepiscopatum Thessalonicensem: jam irarum plenus, hanc injuriam & dedecus ulcisci omnibus viribus contendens, oblatis quinquaginta mille thaleris, muneris, ut in singulis mutationibus affolet, loco, ad solium Patriarchale adspirat. Sed hominem, malâ illius fide irritati, quos inanibus promissis deluserat, Turcæ, post septiduum ad insulam Tenedum amandant: inde

56 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

exilii pertœsus, simulatâ pœnitentiâ, literis ad Cyrillum missis, pœnam, quam subiit, ex crimine admissio jure irrogatam mœstus fatetur : & non diu post, sedi pristinæ, è qua exciderat, restituitur. Sed nimix lenitatis erga impium hominem exhibitæ Cyrillum mox pœnitebit.

Mercimonium illud sacrum, munus volo Patriarchicum, utpote specie splendidum, licet malis artibus possidenti quam maxime infauftum, Turcis quasi sub hasta vendentibus, novos non raro allicit emptores. Martio 1634. Athanasius Patellarius Cretensis, Archiepiscopus Thessalonicensis, ad Sacerdotium primi ordinis ab ipso Cyrillo adscitus, Romanensium, quorum partibus maxime favebat, blanditiis irretitus, infortunii, quod Berrhœensem nuper premebat, immemor, & stultâ spe longè felicio-
ris eventûs animum honoris plus æquo appetentem lactans, eodem pretio (neque enim vel uno aspro id diminutum vellent Turcæ) mercatur, relegato Tenedum Cyrillo. At non diu emptâ dignitate fruitur infamis Simoniacus, ille mense uno aut altero vix exactis quoque pulsus. Sede aliquamdiu vacante, Junio sequente, Cyrillus, multum adjuvantibus amicis, argento magis, jus suum antiquum repetit.

Nondum verò est malorum Cyrilli finis, quæ solâ morte terminabuntur. Anno enim 1635. Cyrillus Berrhœensis, actus ultricibus furiis & Jesuitis, è quorum consiliis totus pendeat, quibusque olim se¹ in disciplinam dedisset, adhuc-dum

¹ V. Epistolam Dionysii Guillii Jesuitæ apud Allatium, de perpetua confessione &c. lib. 3. cap. 11. sect. 5. pag. 1077.

sub eorum disciplina erudiendus, solutis quinquaginta mille thaleris, Thronum Constantinopolitanum iterum occupat. Omnia jam fiunt ex arbitrio Magistrorum, quos habuit fautores & consiliorum participes, nihilque infectum relinquitur, quod huic injustæ possessioni in longum diem stabiliendæ aliquatenus conducatur: quotquot Cyrillo favissent, à sedibus suis moti: aliqui in carceres rapti, aliqui ad triremes damnati: Cyrillus ipse in exilium actus ad Rhodum usque, post, æmulo illo potissimum procurante, anathemate percussus, hoc prætextu, quod ad partes Lutheranorum transiisset. Invasor Cyrillus, ab omni oppressæ partis molimine securus, despoticum in Græcos exercet imperium, otio & deliciis tempus fallit, tam insperatâ felicitate quasi obrutus, ut vix sui compos esset. Vino exhilaratus, in mediis poculis arcanum illud, de quo non inanes erant conjecturæ, recludens, gloriatur in hisce rebus cum Pontifice Romano transigendis sibi olim convenisse. At qualis homo! fordidissimæ indolis, ingenii procacis, lucri & gloriæ simul avidissimus, vindictæ & iræ impatiens, (sæpe enim Episcopos furore actus pugno malè tractabat) & nullo modestiæ aut religionis vinculo retinendus. Ille, quasi juramento ad tuendum *regalia S. Petri* obstrictus, profitetur, modo suppeditarentur nummi, *se non solas Papæ manus, sed pedes etiam osculaturum*: nec dubito, quin iisdem conditionibus gauderet cæteris titulis addidisse, *Imperatoris Turcarum & Romani Pontificis gratiâ*. Interea Cyrillus, tristi exilio fatigatus, & penè confectus,

58 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

ctus, hoc habuit metuendum, quod inimici initis consiliis in effectum dare voluerint, ne navtæ Melitenses aut Florentini, qui myoparonibus & triremibus Ægæum mare, & ultra, infestabant, factâ in terram exscensione, illum, in prædam captum, Romam ad novorum triumphorum materiem suppeditandam deportarent. Ne vero hisce opimis spoliis onusti redirent, insulæ Præfecto, hujus propositi gnaro, in præsidium magis introrsum recedens, non nisi ingenti periculo adeundum, Cyrillum subducere commodum videbatur.

De Cyrillo absente benè mereri non cessant amici, de ipsius libertate procurandâ solliciti. Lentum procedit negotium, difficultatibus haud facile superandis obseptum. Post sesquiannum, plurimis apud Turcas, solo argento expugnabiles, intercedentibus, inter quos maximè emnuit Neophytus, Metropolita Heracleensis, gratum se præstans Cyrillo, qui illum bonis literis erudierat, discipulum, tertio restituitur, anno 1636. circa autumnum. Neophytus ille ipsius, cum exulasset, res non solum privatas, sed quæ ad Ecclesiam spectabant, procuravit. Qua de causa à Philippo Cyprio dicitur, Παρερχόμενος καὶ κανονικῶς, quod de solo jure delegationis videtur intelligendum. Cyrillo enim reduce cessit.

Hostibus Cyrilli non defuit nocendi voluntas, non vindictæ studium, non malitia, quæ mentes illorum novis facibus admotis exagitavit. Interdum victi, interdum victores, variatis quasi vicibus, de bello instaurando iterum cogitant.

Quot-

Quotquot novis dignitatibus, quas sub invasore Patriarchâ nuperrimè possederant, erant spoliati, ad pristinas fordes & incitas redacti, immortales alunt inimicitias, neque quisquam facile in animum inducat, Jesuitas, depositis simulatibus, invidiâ, & odio, cum Cyrillo benevolè acturos. De neutris illud erat expectandum. Mœsti & indignabundi vident, Cyrillum omnes eorum fraudes & insidias elusisse; toties depositum & exulantem, eorum ingratiis toties reducem, toties jus suum recuperasse; constantiam & firmissimum animi robur nullis malis, nullis incommodis, non calumniis, non carcere, non exilio lassari potuisse; conatus ejusmodi irritos; illum omnibus superiorem; illo vivente spem omnem propositi obtinendi evanescere; cum illo omnem difficultatem simul facile amovendam, neque se salvos aliter fore. Igitur cœlum terræ miscent, vociferantur, discurrunt, insaniunt, consiliisque initis omnes methodos sanguinarium istud decretum, quod impendio volebant, assequendi, idque fere per integrum biennium, explorant: quo modo id tandem Dei permissu effectum dederint, tum ex * relatione Nathanaelis Conopii Protosyn-celli, tum ex ore reverendi, eruditissimi, & præstantissimi viri, D. Pocockii, Ædis Christi Oxon. meritissimi Canonici, qui isthoc tempore Constantinopoli degebat, brevi enarrabo.

Cyrilli hostes, cum satis compertum haberent se frustra id aggressuros, manentibus in Urbe

* Apud Hottingerum in app. Analectorum, p. 564.

60 *Narratio de vita, studiis, gestis,*

Imperatore & Vizirio, apud quos Legatorum Anglici & Batavici interpellationes multum erant valituræ, de excindendo Cyrillo egerunt cum Bairamo Bassâ, tum maximè gratiâ florente, quod ille, largis muneribus corruptus, lubens suscepit; moxque artibus subdolis effecit. Imperator enim Morates anno 1638. bellicam expeditionem Persidem versus ad Bagdadum expugnandum moliturus, Bairamum, ut omnia in promptu essent, quæ Urbis munitissimæ longa & difficillima obsidio exigeret, cum expedita militum manu præmisit, dum ille & Vizirius, bipartito pabulationis causâ exercitu diversis itineribus, lento gradu sequuntur. Cuncta ex voto fieri diligentia Bairami lætus Imperator vidit, & coram gratulatur; sæpe cum illo de castrorum munitionibus & de Urbe oppugnandâ verba miscens. Ille, arreptâ hac occasione, adjutus operâ Hufaini Bassæ, quem facinoris conscium admiserat, Imperatori retulit, Cyrillum Patriarcham apud Græcos suos maximâ auctoritate valere; illo instigante, Cosakos 'Aso-pham, oppidum ad Tanaim non procul à lacu Mæotide situm, nuper aggressos diripuisse; hominem esse præcipitis consilii; de quo hoc præsertim tempore erat metuendum, ne jam, Constantinopoli militibus vacuâ, Græcos ad seditionem cieret, neque hæc mala caveri posse, ni Cyrillus de vita tolleretur. Imperator, irâ & suspicionibus tumens, hujus consiliis cessit, & feralem mortis sententiam illico signat, Con-

¹ Conopius appellat το Αζακ, ni fortè alia sit urbs eo loci sita.
stantinopolim

stantinopolim expedito cursore quam celerrimè
perferendam. Præfectus Urbis, Musa Bassa,
Cyrillum, sibi triste illud ac ultimum fatum in-
stare parum cogitantem, missis Janisariis in Pa-
triarchio deprehensum, in Occidentale castrum,
quod Bosporo imminet, amandat. ^m Junii 27
die, vespere satellites illum in lembum truden-
tes, dixerunt, se ad portum S. Stephani, qui
paulo infra Constantinopolim est in litore Thra-
cico, rectâ ituròs, ut illic navi impositus ad
quandam maris Ægæi insulam traducatur. At
oram solvantes, dum se ad carnificinam destina-
tam accingunt, ille flexis genibus ad Deum op-
timum maximum magna tum animi tum vocis
contentione preces effudit, jamjam moriturus.
Venerandum senem primò omni contumeliarum
genere prosequuntur, deinde faciem colaphis
cædunt, tandemque gutture chordâ eliso suffo-
cant. Corpus, vestibus exutum, in mare pro-
jectum, nacti piscatores ad littus exponunt,
quod aliquanto post ab amicis terræ mandatur.
At hostium ipsius livor & odium non cessant :
in mortuum enim inhumanissimè sæviunt. Malè
enim offensi, quod tumulum reperisset, Kaima-
kamum (ita urbis Gubernatorem nuncupant)
adeunt, ut effosso tumulo corpus in mare pro-
jiceretur. Iterum ex aquis receptum corpus, in

^m Anno Domini 1638. Januarii 27. Cyrillus Patriarcha Constanti-
nopolitanus, inimicorum calumniis oppressus, Imperatoris tum absentis
mandato strangulatus est. Ita D. Pocockius in supplemento Historiæ
Dynastiæ ad finem Gregorii Abulpharagii, pag. 53. Oxon. 1663.
ubi Vir ille longè præclarissimus pro Januario mensè reponendum
fuisse Junium me plusquam semel admonuit, uti in suo exemplari
rectè & compendiosè scriptum erat : quod malè intellexit Typo-
theta, nec mendum inter legendum sustulit Corrector.

62 *Narratio de vita, studiis, gestis, &c.*

quapiam ex insulis finui Nicomediensi objacentibus, clam omni turba tumulabatur. Posteaquam vero Cyrillus Berrhœensis, variis criminibus à Græcis Antistitibus apud Imperatorem, è bello Persico reducem, infamatus, sede, quam impietate summa invaserat, motus, Tunetum, 1641. ubi laqueo vitam finiit, relegaretur, Parthenius Patriarcha effossas reliquias cadaveris Constantinopolim efferri curavit : inde post solennes in templo Patriarchali exequias, quibus ille, & è Metropolitae non pauci, ingensque cæterorum Græcorum, qui Viri optimi dirum ac triste fatum, justâ miseratione tacti, veris lachrymis deflebant, multitudo interfuere, decenti funebri pompâ, plurimis quoque comitantibus, in Templum apud Ortakui, quod ad Bosporum jacet, terræ instratum corpus recondebatur. Ita hostium invidiâ, odio, & fictis injustissimisque criminationibus oppressus cecidit vir maximus, Cyrillus Lucarius, quem ob inculpatos mores, nullis probris commaculatos, & ob acerbissimas vitæ calamitates, & cruentam mortem, quam obiit religionis Evangelicæ defendendæ causâ, quicquid censeat D. Arnaldus, & *Sanctum & Martyrem* habeo.

APPEN-

APPENDIX.

Appendicis loco, & quasi per mantissam, pauca huic narrationi in hac nova editione post octodecim annos (Anglicè enim prodiiit anno 1680.) superaddere placet.

DE virtutibus reliquisque, quibus Cyrilus pollebat, animi dotibus, cum ex elogiis supra subinde sparsis facile colligi possint, non est, quòd hic multis agam.

Linguae Latinae ab ipsa juventute assuetus, eandem quoque per integram vitam, perfunctoriè licet, & quasi in alieno solo positus, excoluit, ejusque promptum facilemque usum, nec omnino quidem rudem inelegantemque, sibi comparavit: ut literæ ejus testantur. Linguarum verò, tum Græcæ, (veterem illam intelligo, quæ ab ævo Cecropis per tot annorum secula ab omni barbarie ac labe integra, usque ad inclinatum imperium, manserat) tum Arabicæ erat callentissimus: utpote utriusque cognitione sibi maximè necessaria: hujus, quorem suam & Christianorum apud Turcas & Ægyptios, dum ecclesiam Alexandrinam rexit, melius procuraret, penitusque superstitionis Moham-

Mohammedicæ deliria intelligeret : illius autem, ob studium Theologiæ in legendis Patrum scriptis continentèr impensum : è quibus tanquam ex fontibus illibatis puriores Christianæ doctrinæ latices exhaustit ; non neglectis interim Latinorum, sive vetustioris sive recentioris ævi, libris, quorum ingenti copia à Confœderati Belgii Ordinibus, & ab Ecclesiæ Anglicanæ Antistitibus sæpe erat donatus. Exosus enim ab ipsa juventute tyrannidem Papalem, fœdoscque Romanensium errores, in dogmatibus Theologicis ante aliquot secula introductos, de Reformatis Ecclesiis semper optimè sentiebat, præsertim de nostra, quæ cum fide verè Christiana & Apostolica regimen quoque Ecclesiasticum, ab ipsis Apostolis, ordinante Christo, stabilitum, ritusque decoros in cultu sacro conjungens, ad ipsam primitivam Ecclesiam, tanquam vivum expressumque prototypi exemplar, si qua in Occidente, imò in universo orbe, proprius accedebat. Qua de causa cum reverendissimis Archiepiscopis Cantuariensibus, Georgio Abbato, & Gulielmo Laudo, commercium habuit literarium : huic etiam dono dedit "Pentateuchum Arabicum, lemniscis, asteriscis, obelisque, ab Origine mirabili ingenio ac industriâ inventis, ubivis notatum, hâc inscriptione, tum Græcè, tum Latinè, appositâ.

* Reponitur in Archivis Laudinis in bibliothecâ Bodlicianâ Oxon. num. 147.

Κύριλλος ὁικουμενικὸς Πατριάρχης τῷ μακαριωτάτῳ
καὶ σοφωτάτῳ Κυρίῳ Γελλιέλμῳ Λάττι δωρεῖται τὸ
παρὸν βιβλίον εἰς τεκμήριον ἀδελφικῆς ἀγάπης.

*Cyrillus Oecumenicus Patriarcha beatissimo &
sapientissimo Archiepiscopo Cantuariensi, D.
Gulielmo Laut, dono mittit præsentem librum
in signum charitatis fraternæ.*

Subtùs adnotatum reperi, proculdubio, si
non jubente, saltem conscio, D. Laudo :

*Donum Cyrilli Patriarchæ Constantinopolitani,
paulo antequam octogenarius Turcarum ma-
nibus indignè occubuit.*

Indè dubitatio justa de vero anno nativitatis
Cyrilli, quam supra innui, suboriri mihi qui-
dem videtur : & sanè imago illius in charta ad-
vivum picta, quam apud me habeo, faciem ru-
gis fenilibus & macie detritam, canitiemque bar-
bæ promissioris præ se ferens, illum istam pro-
vectam ætatem attigisse satis spondet. Sed ma-
ximè omnium pretiosissimum munus & auro
gemmisque longè præhabendum, quo serenissi-
mum Regem Carolum I. beatæ memoriæ, & pal-
ma martyrii pariter quoque coronatum, imper-
titus est, erat codex ille venerandæ antiquitatis,
Septuagintaviralem Versionem Græcam comple-
ctens, ab ipso in Ægypto repertus, & ab Alexan-
dria Constantinopolim advectus, quo jam Biblio-
theca Regia, in palatio S. Jacobi apud Westmona-
F sterium

sterium condita, meritò superbit : de quo cùm multa alibi dixerim, hìc prorsus tacebo : contentus ea sola, quæ in prima pagina ipse Cyrillus propria manu scripsit, hic apponere ; licet in Bibliorum Polyglottorum Londinensium prolegomenis prius existent.

Liber iste scripturæ sacræ Veteris & Novi Testamenti, prout ex traditione habemus, est scriptus manu Theclæ, nobilis fœmina Ægyptiæ, ante mille & trecentos annos circiter, paulò post Concilium Nicænum. Nomen Theclæ in fine libri erat exaratum : sed extincto Christianismo in Ægypto à Mahumetanis, & libri unà Christianorum in similem sunt reducti conditionem : extinctum ergo & Theclæ nomen & laceratum : sed memoria & traditio recens observat.

Sed, ut hoc obiter addam, traditio ista planè incerta esse, & omnino vacillare mihi quidem videtur. Codicem enim paulo post tempora S. Athanasii, Archiepiscopi Alexandrini, scriptum fuisse hinc liquet, quod ibi illius ad Marcellinum Epistola, iisdem uncialibus characteribus descripta, Psalmis præfigatur. Fœmina autem illa Ægyptia, secundo Diocletiani anno • in Palæstina, pro Christo, feris objecta, gloriosum subibat martyrium. Ideò potius dicendum arbitror, pretiosissimum hoc cimelium olim ad quoddam Monasterium in Ægypto con-

• V. Eusèbium de martyribus Palæstinæ, cap. 3.

structum, & illius sanctissimæ & fortissimæ Heroïnæ, quæ cum leonibus, ursis, tigridibusque in circo congregi ausa est, memoriæ dicatum pertinuisse, ac inde traditionem istam originem duxisse.

Vitam maximè industriam egit Cyrillus, aut in sacris functionibus obeundis, aut in peregrinationibus Christianæ religionis tuendæ, aut charitatis propter afflictos oppressosque suæ communionis alumnos causâ institutis, aut in suis juribus, fama, & vita, quam profligati quidam homines indefessa malitia impetebant, defendendis assiduus : neque enim enthea mentis ad benè faciendum quam maximè propendentis, & de Ecclesiis Orientalibus benè merendi studiofissimæ, vis, aut irrequieta Adversariorum, à quibus erat exagitatus, pervicacia, illum otio torpescere, nedum indulgere siverint. Præcipuam verò sanctissimæ sollicitudinis ac Pastoralis partem, tum in Clero studiis eruditionis & disciplina morum excolendo, tum in populo Christiano, sparsis per universam Græciam enchiridiis Christianæ religionis, facili methodo dispositis, ritè instituendo posuit : quorum profectui ut melius iret prospectum, & ut indè in cognitione & doctrinâ Dei Salvatoris nostri fierent instructiores, omnes Novi Instrumenti libros in linguam Græcam vernaculam, converti curavit. Accedunt integritas & sanctitas vitæ, quibus tanquam gemmis micantioribus summam, quam adeptus est, dignitatem, mirè exornabat. In tanta animorum, quæ universam Græciam commovisset, exacerbatione aut malos

mores, aut læsam modestiam, aut quicquam vel homine Christiano aut Episcopo indignum illi exprobrare neque potuit neque ausa est ipsa invidia. Solus ille ecclesiam Græcam à corruptelis novitatibusque sensim invec̃tis, quibus ab institutis majorum discessum erat, purgandi zelus, sola illa honestissima mentis obstinatio, quæ Romanensium minis blanditiisque neutiquam cesserit, solus ille fidei verè Apostolicæ & Catholicæ, (neque enim de dogmatibus quibusdam Scholasticis minoris momenti, quæ salvâ hac fide inter Theologos, ejusdem apud nos Reformatæ, aut alienæ, communionis, alterutrinque controversi solent, loquor) juxta Scripturarum normam & antiquorum Patrum placita tuendæ amor, ipsi vitio vertuntur. Hæc sola illa Hæresis, cujus illum postulaverint: hoc flagitiosum illud crimen, sub infami schismatis stigmate impactum, nec sanguine aut vita expiandum. Illum enim post conditos cineres spurcissimis & falsissimis convitiis usque & usque calumniantur, novoque anathematis genere, quod hactenus in vivos impingi solet, percutiunt. In illum injustè prorsus animadvertit ^p Petrus de Marca, illumque hæc de causa, quòd à veteri illius Ecclesiæ traditione desciscens, & à Hieremie Patriarchæ censura, qua confessionem Augustinam olim notaverat, aliquot articulis professionis Hollandicæ subscripsisset, meritas pœnas dedisse, ex ista parte admodum iniquus judex pronuntiat. Cujus sententiam ^q Grotius adversus

^p De concordia Imperii & Sacerdotii, lib. 2. cap. 15.

^q In discussione Rivetiani Apologetici. Irenopoli 8°. 1645. p. 246.

Cyrillum exacerbatus, contra jus fasque nimium quantum approbare videtur. His addendi sunt Arsenius^r Hiero-Monachus, Panagiottus in epistola ad D. Nointelium, Nihufius, Tafferminus, item nuperrimè Simonius, Cruceius; cæterique minorum gentium scriptores, immoderato parumque Christiano zelo abrepti, & capitali contra mortuum Patriarcham odio efferati, in quorum calumniis singulatim refellendis non opus erit, ut hîc vel aliquantillum morer, cùm id ex Virorum illustrium, omni fide dignissimorum, literis tabulisque authenticis in medium productis, præcedente narratione historica, &

^r In epistola Parthenii Constantinopolitani *Decreto Synodali super Calvinianis dogmatibus* primùm Parisiis 1643. & postea Amstelodami 1645. edito præfixa.

^r Ad calcem libri Arnaldi de perpetuitate fidei, tom. 3. p. 595.

^r Hic vanissimi ingenii scriptor multa convitia in Cyrillum, sed planè insulsè & absurdissimè, congerit, in programme posteriori, p. 266, 267. ad finem libri, cui titulus, *Concordia nationum Christianarum in fidei Catholice dogmatibus* &c. Moguntiz 1655. 8°.

^r Paulus Tafferner Jesuita in narratione legationis Comitissæ de Leslie ad Constantinopolim, parte tertia, p. 109. Viennæ Austriæ 1672. 8°. Verum nupero eventu pejus est, quod hoc ipso seculo corrente Patriarcha sacrosancta subsellia, Catholicissimis quondam inessa, vix Christiano nomine censendi involaverint. Cyrillus Lucaris è Græcis oriundus, Hæc Comitissæ educatus, cum Legato ejusdem gentis Byzantium appulit, interveniente argento & auro, circa annum trigessimum æra currentis in Antistitem ejus Cathedra evektus fuit. Fretus fiducia infamis patrocinii homo nefarius, non multò post cepit quicquid antiquæ religionis fuerat, pessundare. Confessionem fidei edidit ad amussim Calvinii placitis respondentem, nempe ne doctrina vitæ dissentiret. Mirabatur Occidens, unde Græca Ecclesiæ resolutio tam præceps, tam scelestæ. Nec defuit in Oriente medicina subitanæ pestis. Eam successores bini, synodo coacta, cum extincto Lucari strenuè tumularunt. Anno vix. seculi tricesimo nono Cyrillus alter Berrhænsis, & quadagesimo secundo memoratus Parthenius, Episcoporum ac Presbyterorum calculo, superinducta nefariè dogmata proscripserunt. Sed hæc criminationes in Cyrillum impactæ adeò clarè in Lectorum oculos insiliunt, & adeò fallæ sunt, ut neque iudicio neque refutatione egeant,

in Miscellaneis fatis superque fecerim. Tandem fortasse veritas adversariorum pervicaciam expugnabit, saltem, evanescentibus præjudiciis, quibus nimium quantum hactenus fuerit indulgendum, illos in mansuetiorem inclinabit sententiam. Ad omnes provoco, qui, posthabito partium studio, veri æquique amore ducuntur: nullusque dubito, quin, sedatis affectibus, Cyrillum longè melius mitiusque fatum meruisse, imo æternis laudum præconiis celebrandum esse, mecum sensuri sint. Sed judicet Deus optimus maximus, innocentiae & sacrae veritatis vindex, & æqua posteritas.

*Westmonasterii,
mense Martio
A. cio. ioc. xc.
viii.*

LETTRE

L E T T R E

D U

Sieur VAN HAGHE,

Ambassadeur de Messieurs les Estats a la
Porte du Grand Seigneur : de Constan-
tinople, le 7 Janvier 1632.

LE 22 Decembre au matin le Patriarche de
cette ville alla visiter le nouveau Ambassadeur
de France, Monsieur le Comte de Marche-
ville, du quel il fut fort bien receu, quant au
compliment exterieur, l'ayant intitulé du nouveau
tiltre des Cardinaulx *Eminentissime Signore*, &
apres avoir esté traité magnifiquement a disner,
parmi plusieurs discours, l'Ambassadeur monstra
au Patriarche sa *Confession*, la quelle l'Ambassa-
deur de France, qui se tient a Rome, luy avoit
envoyée par ordre du Pape, avec ordre expres de
demander au Patriarche, s'il avoit fait cette
Confession, & s'il y vouloit persister : le Patri-
arche apres avoir prise entre ses mains, & re-
gardent soigneusement, respondit, *que c'estoit*
vraiment sa Confession : mais avant que luy de-
mander (dit il) s'il y vouloit persister, l'on luy
devoit premierement monstrier, & le convaincre
par la parole de Dieu, en quoy il avoit erré. Il y
F 4 *a plus*

a plus de cinq cens ans, (dit il) que l'Eglise de Grece est entierement separée d'avec celle de Rome, & a cause de cela, moy comme Patriarche de Constantinople, je n'ay point pour tout affaire au Pape de Rome, & ne suis pas tenu de rendre compte de ma creance, ny a luy, ny a ceux, qui dependent de luy. Jay plus de cent Metropolitains & Evêques, outre un grand nombre d'autres personnes Ecclesiastiques sous ma juridiction, aux quels s'il estoit requis, je seray tousjours prest de donner satisfaction dans une Synode generale de l'Eglise Grecque; ou nous entrons en conference avec consentement, les uns des autres, par la parole de Dieu, & par les anciens Peres de la primitive Eglise, comme membres de l'Eglise Orientale Apostolique & orthodoxe. Sur que Monsieur l'Ambassadeur (qui est porté d'un grand zele a la Religion Romaine, & tousjours accompagné de Prestres & de Moines) ne repliqua autre chose, si non, qu'il dit, parlant au Patriarche, qu'on tenoit a Rome & en France son Eminence pour Calviniste; la quelle secte estoit fort haïe du Roy; & je souhaiterois bien, (dit il) que votre Eminence fust Catholique Romaine; comme le Roy, la faveur & liberalité du quel se pourroit gagner par ce moyen la. Le Patriarche pour finir ce discours luy repliqua en ce peu de paroles: En l'affaire de ma creance & de mon salut eternel, je ne sçauray suivre ny le Roy de France, ny personne du monde; ains je ne feray autre chose, que ce, que ma conscience me dira. La visite estant ainsi finie, le Patriarche me vient voir aussi tost, & me raconta luy mesme
tout

tout ce que dessus. Peu de jour, apres la venue de Monf. l'Ambassadeur de France a Constantinople, y arriverent deux Grecs, l'un ayant esté Metropolitte de Sophia, & l'autre d'Ocrida, tous deux fugitifs de leur pays de peur d'estre punis a cause de leur mauvaise vie & comportement: les quels ont esté quelque temps a Rome, d'où le Pape & la Congregation dē propagandā fide les ont envoyéz en cette ville, affin de persecuter icy le Patriarche, & de troubler l'Eglise Grecque; comme a Rome on ne neglige point telles occasions, en esperance d'avancer quelque de leur Caballe a la dignité Patriarchale, quand bien il seroit meschant & infidel. Les dites deux Grecs ont esté raccommandez a Monf. l'Ambassadeur de France, qui les a pris sous sa protection, & mesme dans sa maison la, ou ils proferent sans aucun respect toutes sortes d'injures, & de calomnies, non seulement contre le Patriarche, le blasmant, & appellant *Heretique, Lutherien, mesme infidelle*, mais aussy comme gens insensez menacent tous les Metropolitains, & toute l'Eglise Grecque, disant, qu'ils prometteront une grande somme d'argent au Grand Seigneur pour le Patriarchat, & le prendront a ferme; attendans a cette fin ordre & instruction de Rome. Regardez, Monsieur, jusques où s'estend l'orgueil & l'ambition de ces gens, qui pretendent icy entre les Mahometans, Juifs, & toutes sortes d'autres nations, de s'opposer par force a la reluisante lumiere de l'Evangile, & aiment mieùx extirper la reste de la religion Chrestienne en Grece, que de la souffrir; mais il est

il est fort difficile d'accumuler les monts, les uns sur les autres, pour combattre le ciel. J'espere, qu'il leur arrivera ce, qui arriva aux constructeurs de la tour de Babel. Je suis grandement estonné, que Monf. l'Ambassadeur de France au commencement de sa legation, par instigation de la Cour de Rome, prend en main un tel affaire, dont ne peut suivre, qu'une mauvaise reputation pour sa personne, & empeschement pour toutes les affaires, qu'il a entre ses mains pour sa propre nation ; & outre cela la ruine de la Religion Romaine, & banissement de tous les Jesuites, Capucins, Prestres, & Moines de toute sorte d'ordres, lesquels ses predecesseurs depuis quelques années ença ont establie en cette ville, & aux environs en fort grand nombre. Je remarque, que le Patriarche & tous les Prelats de Grece, comme aussy les principaux entre les Seculiers, (ayant souffert grandes dommages & injures de l'Ambassadeur precedant, & estant grandement irritez de nouveau) sont resolus de n'endurer plus une telle tyrannique & peu Chrestienne persecution, ains de s'y opposer eux mesmes, comme il fault, & d'informer le grand Seigneur, son Visier, & les autres Ministres des desseins du Pape, & de ses adherans, & procurer leur deliverance par tels moyens, qu'il leur sera possible, dont sans doute s'en suivra une tres grande tragedie entre les Grecs & les François, d'autant plus, que les Catholiques Romains, mesmes habitans de Galata & subjects de cette Porte, sont malcontents d'un si grand & superflu nombre de Prestres & Moines de toute sorte

forte de nations, qui arrivent, & qu'on introduit tous les jours. Il n'y a que 25 au plus ou 30 familles de la religion Romaine en cette ville & aux faux-bourgs d'icelle. Mais tant de Prestres & Moines, qui pourroient suffire a plus que mil familles. Pour les Grecs, il y en plus que cent milles. On envoie de Rome Vicarios Patriarchales, pour commander & regler les dites familles Catholiques ; les quels jusqu' icy le Patriarche & toute l'Eglise Grecque a tolerez, & y ont vescu sans estre troublez ny molestez. Au contraire ce petit nombre ne scauroit laisser en
*Fortè Tilenus. paix les Grecs. Or puis que le
Sieur *Til. n'a point tû de tout de nous calomnier, vous & moy, en France, comme si la confession du Patriarche estoit faicte & pratiquée, icy & a Geneve, par nous deux, & présentée aux Eglises Reformées, comme chose supposée, j'ay tousjours travaillé d'en faire paroistre la verité par les tesmoignages des Catholiques mesmes. Mais je n'en ay peu trouver jusqu' icy aucune occasion commode, a cause, que les Catholiques Romains a une telle action, qui semble leur estre prejudiciable, n'ont peu encore y estre induits. A la fin le bon Dieu a ainsi ordonné, que l'Ambassadeur de France, a l'instance du Pape, s'en est informé luy mesme en personne, & en a mis au jour la verité & la certitude. Selon mon opinion le siege Romain aura regret désormais de s'estre ingeré si soigneusement en cette affaire, & de n'estre point demeuré en la premiere incertitude & dispute. A la fin, quand on ne pourroit rien contredire par la verité &
par

par la parole de Dieu a la dite Confession, on eust pour le moins continué a nier, qu'elle n'auroit point esté introduite par un Patriarche de Grece, & par le premier Prelat de l'Eglise Orientale, comme a faict le dit Til.

Il semble, que par la providence de Dieu les Catholiques Romains n'effectueroient point autre chose par leur inouye, odieuse, & intolerable persecution, que d'inciter le Patriarche & toute l'Eglise Grecque a un plus grand zele de poursuivre l'oeuvre commun, & faire parroistre la verité. Je vous puis asseurer, Monsieur, qu'il n'y a personne icy entre les Metropolitains (dont il y a present grand nombre chez le Patriarche, & des Principaux de Grece) qui ne vueille mettre sa personne, sa vie, & son bien pour la defense du dit Patriarche & sa Confession. Et me semble, sauf un meilleur advis, que ne seroit hors de propos de donner quelque notice de ce que dessus au Roy tres Chrestien, & a ses principaux Ministres, pour le bien du service de sa Majestie.

FRAGMENTUM V I T Æ *CYRILLI LUCARII*

P E R

ANTONIUM LEGERUM.

CYRILLUS LUCARIS anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo decimo tertio die Novembris natus in insula Creta, & in illius Metropoli Candia, ubi duodecimum ætatis annum attigisset, Venetias se contulit, & indè Patavium, ubi ad vigesimum tertium ætatis annum defedit ; illa tempestate, qua decreto Senatûs augustissimi Jesuitica ambitio & in Academicos rabies fuit oppressa, & illa ipsa, qua Cremoninus & Picolomineus florebant. Hic cùm subsisteret, à Meletio Alexandrino Patriarcha, populari suo, & , ut affirmat ipse Cyrillus, consanguineo, evocatus, Italiæ valedixit, & Constantinopolim navigavit, ubi Meletius negotiorum causa pro tempore commorabatur. Ab illo tunc ordinatus, Hieromonachi habitum & professionem accepit. De isto celeberrimo Meletio plura disces, si vis, in Epistolis

78 *Fragmentum vitæ Cyrilli Lucarii.*

lis Georgii Doufæ. Ipse Cyrillus testis est, ab eodem Meletio scripta non pauca, sed imprimis quatuor libros stromatum, imitatione Clementis Alexandrini, in quibus de articulis fidei soliditate antiqua, Patrum doctrinam redolente, contra Pontificiorum dogmata differit : (hæc scripta sunt perquirenda & obtinenda.) Constantinopolim feliciter ingressus, inibi traduxit annum. Post cujus interusurium ab ipso Meletio emissus in Poloniam ad fovendos Ruthenicæ fidei professores nobiles aliosque, Vilnam, Lithuaniae Metropolim, devenit, & per viginti menses commoratus, cum Jesuitis & Franciscanis de religionis Ruthenicæ & Romanensis controversiis perpetuam luctam sustinuit, & celebritatem consecutus in illo tractu inter suos & adversarios sub titulo Archimandritæ & deputati utriusque Patriarchæ. Variis occasionibus per idem tempus commercium habuit cum Evangelicis amicis. Priusquam autem Vilnensi stationi abrenuntiaret, sub extremum alterius anni collationi Brestianæ de Ruthenorum schismate componendo habitæ interfuit, & præfuit nomine Patriarchæ Alexandrini, simul cum Nicephoro Diacono, Græco natione, & vices gerente Patriarchæ Constantinopolitani, qui, à Sigismondo tertio citatus ad comitia, Johannis Zamoscii, magni regni Cancellarii, instigatione, quod intervenisset tractationi negotiorum Moldaviæ, sub Jeremia Vaivoda comparuit, itaque Nicephorus à Constantino Basilio, Duce Ostrogia, & Palatino Kioviensi, propter authoritatem Regis, Cancellarii, & Comitiorum, & per fraudem Zamoscii productus à patro-

Fragmentum vitæ Cyrilli Lucarii. 79

à patrono suo, Duce Constantino, & spe liberationis intra breve tempus Patrono promissæ, ab adversariis iisdem traditus, & in vincula conjectus, Marienburgum in custodiam deducitur, & mox in carcere per tyrannicum mandatum & executionem strangulatur. Paucis post diebus Alexander, Constantini Ducis Filius, Jannusii Cracoviensis Castellani frater secundo genitus, Jesuitarum arte, Sigismundi autoritate, Romanensis cujusdam famuli ministerio intricatus, obiit : cujus sanguis cœlestem vindictam provocat.

Igitur mox à Brestiano colloquio Cyrillus ad Constantinum Basilium transiit, & cum eo biennium transigit, Osnoniæ fermè semper degens, Ducis illius patrocínio contra tyrannidem Jesuiticam se defendit. Sed & insuper Demetrii Holiconii, Archiepiscopi Leopoliensis, amicitia ad pompam & ambitionem affectata, ex ingenio illius hominis se tutabatur. Per idem biennium cum Evangelicis varias & amicas collationes habuit. Dum ibidem ageret, motus obortus est in Polonia ab Vallachia, à quo motu quæsitum factio Jesuitica prætextum, ut Cyrillum pelleret, & in eum finem literas Regias, quibus denuntiabatur, ut è Reipub. terris se proriperet, si sibi consultum vellet, obtinuit. Post cujus exitum Polonia prodiit à Petro Scarga Jesuita liber Polonicè vulgatus: cui inseritur Epistola Latina sub nomine Cyrilli, quasi deposita in manibus Holiconii, & cujus exordium est, *Ego Cyrillus Lucarii &c.* sub data 24 Januarii anni 1601. Leopoli. Hanc Cyrillus bonum cordium scrutato-

rem

80 *Fragmentum vitæ Cyrilli Lucarii.*

rem invocans, cum mentione judicii extremi, in quo comparebunt vivi & mortui, protestatus est mihi fictam & commentitiam esse, & esse foetum suppositum Leopoliensis Archiepiscopi aut Jesuitarum: & in illa nihil ex mente sua præsentem & antiquam contineri, nec unicum verbum esse suum. Polonia decedens mandato Sigismundi, Constantinopolim repetiit, & è vestigio per Alexandriam Cairum, sedem ordinariam Patriarchæ Alexandrini. Dum in itinere est Cyrillus, cura & favore Meletii, paucis ante obitum diebus ordinatur, vivo adhuc Meletio, qui biduum tantum post Cyrilli adventum vitam finiit. Dioecesim illam Alexandrinam rexit decem & novem annos, & per id intervallum, repetito itinere, Vallachiam adiit per Constantinopolim, specie colligendorum proventuum è fundis, in quos jus habet sedes Alexandrina, dum in secunda peregrinatione sua à Vallachia detinetur; interim Constantinopolitanus Patriarcha, conspirantibus omnium Metropolitanorum & populi votis, absens creatus Patriarcha Constantinopolitanus, Timotheo demortuo substituitur. Sedit autem quietus per biennium & semestrem; post quod tempus, oborta tempestate, Rhodum transfertur, & per sex menses eclipsium patitur sedes Constantinopolitana, quam indignissimi homines occupare moliebantur. Tandem bipedum iniquissimus & naturæ portentum, Gregorius quidam unoculus, Metropolita Amasiæ, Antipatriarcham se gerere ausus est; quo evanescente, & sublato, Anthimus quidam, Metropolita Adrianopolitanus, eidem successorem se dedit

dedit. Verùm authoritate Regia & interventu legatorum M. Britanniaë & Hollandiaë revocato Cyrillo, cessit *ἔκων ἀκούσας βύμων*, ubi se vanis Legati Galliaë pollicitationibus variè delusum sensisset, & ne afficeretur magis Constantinopolitana habitatione, in Sanctum Montem ad monasterium, in quo maximam vitæ partem traduxerat, refugit, & in illa quiete triennio fermè post animam Creatori reddidit. Ad illam deportationem operas suas contulerunt multi, imprimis Husain, Bassa supremus, & isto tempore Visirius, natione Epirota, partim similitate in Cyrillum provocatus, partim spe magnæ gazæ per illius captivitatem acquirendæ. Porro exigui temporis decursu dejectus de dignitate, & paulo post in ea camera, in qua Patriarcham clauferat, ex Regis præscripto fauces eidem elisæ non sine singulari providentia Dei. Malignitatem Visirii stimulavit Galliaë Legatus per varios, quos fumis suis & vento incitabat, & ipse ad id a Jesuitis incitabatur. Intervenit etiam non inter postremos Euthymius quidam Archimandrita Constantinopolitanus, qui postea se subduxit, & nunc Romæ degit, quem Patres illi venerandi de propaganda fide in Consistorio suo destinaverant ad occupandam omni via sedem Constantinopolitanam. Præter supra memoratos, Reip. Polonicaë Legatus, Christophorus Sbaraski, prædictum Visirium inflammaverat, & nomine Reip. Polonicaë ab eo contenderat, & ante discessum obtinuerat dejectionem Cyrilli, cui crimini dabat, quòd perturbator esset pacis, & inter Imperium Ottomanicum & Remp. Polonicam; & inter cætera,

G

a Cyrillo

82 *Fragmentum vitæ Cyrilli Lucarii.*

à Cyrillo ad Moscoviæ M. Ducem directas, litteras interceptas referebat sub Sultano Osmane, quibus Moscum consilio suo ad bellum in Polonos suscipiendum permovebat. Quod Cyrillus non diffitetur à se scriptum, sed per expressissimum mandatum supremi Visirii, prædecessoris, dicti Hussain Bassæ, origine itidem Albani; itaque semestri in illa deportatione transmissio rediit Cyrillus ad sedem suam & Patriarchalem sollicitudinem, cujus non indigna pars fuit, quòd typographiam in oppido Galata procuraverit, & in illo consilio extruendæ hujusce machinæ Metaxam Hieromonachum, nunc Archiepiscopum Cephaloniensem, foverit. Dum id fieret, non quievit Jesuitæ, sed pro ingenio suo omnia turbare, & per calumnias grassari cœperunt, iis instrumentis utentes, quæ ad id valent. Utque procederet illorum conatus, finxerunt, & Turcas minus peritos rerum illarum, adeoque ipsum Regem Bassa Caimakamum, aliàs probum & justum, eo adduxerunt, ut crederet cudi in legem suam & præjudiciū imperii, beneficio illius typographiæ, non pauca, & vulgari ea, quibus sollicitarentur animi subditorum Christianorum ad rebellionem. Revera autem pia tantum opuscula edere animus erat, & tum cum missi sunt Turcæ ad disturbandam typographiam, & captivandas operas, Cyrilli ipsius expositio in Symbolum Apostolicum, prisca Hellenismi idiomate conscripta concinnabatur. Inde Jesuitis à seipsis perniciēs nata, & proinde Caimacami circumventi sententia intervenit, qua ob calumnias & pestilentem de rebus politicis scientiam

ac

Fragmentum vitæ Cyrilli Lucarii. 83

ac curiositatem exulare iussi. Decretum exilii, è Turcico in Italicum transfusum, accipiendum à Patriarcha, & ab eodem obtinenda Confessio fidei Græcè; ut & compendium eadem lingua historiæ Jesuitico-Turcicæ. Captata postmodum à Galliæ Legato occasione, & pro facilitate morum Turcicorum impetrata restitutionis illorum licentia, pro binis pulsis, septem rediere spiritus maligni. Interim constat fundamento minus valido niti revocationem pristinæ sententiæ, cum per libellum supplicem obtenta sit, quo vespillonum inter Christianos officium vacare per absentiam istorum Patrum, filium Legati pædagogis carere, & iis, per quos sacra sua operetur, quasi aliorum ordinum Patres supplendo non essent. Dum hæc scribuntur & excipiuntur ex Cyrilli narrantis ore, sextus annus agitur à restitutione post deportationem Rhodiensem: annus autem hujus seculi Domini nostri 1629. mensis Junii 13 dies stylo veteri. Præter--

Reliqua desiderantur.

NARRATIO EPISTOLICA
TURBARUM INTER
CYRILLUM,

Patriarcham Constantinopolitanum,

E T

JESUITAS,

Eorumque Patronos & Zelatores,

A. D. 1627 & 1628.

Ad Illustriss. Dominum M. D.

Literis tuis (quas novissimè superioris August. Kal. datas accepi) mecum agere videris, ut assolent, qui duktoribus convivarum ferculis condimenta acriora admiscent: nam quòd affectu & consilio juves, ac laudibus absentem ornes, mihi non potest esse non gratissimum: longe jucundius, quod valetudinem, facultates, atque debitam virtuti tuæ gratiam ex animo succedere significes: sed urit, quam imponis mihi, provincia; oppido gravis, nec minus invidiosa, & obloquiis obnoxia, prout varie in ejusmodi materiâ affecti sunt lectorum animi.

Quare

Narratio de turbis Jesuitarum in Oriente. 85

Quare nihil tibi præstare non maluerim, quam hanc narrationem exponere, præsertim cum ex literis tuis conjicere sit, præjudicia nonnulla plurimorum mentes adeo occupasse, ut novum errorem inducere, quam conceptas opiniones removere, fuerit longè facilius. Sed cum te sperem, propriæ magis satisfactionis, quam altercationis studiosum, volui tibi palam facere, quantum apud me possis: etsi prudentia quidem repugnet, & alio me avocet negotiorum meorum ratio. Rem ipsam, ut cognovi, habeto.

Decem ab hinc menses, orta hic est inter Ecclesiam Græcam & Jesuitas dissensio: etsi non tum primum fuerunt inter eos turbæ, carcer, ablegatio. Sedes fixerant in urbe Galata, Turcarum Imperatoris permissu, Gallicâ protectione tuti, ante annos viginti quinque. Per quod tempus amplas Collegii ædes extruxerant; Bibliothecam comparaverant numerosam; & sua non parum promoverant commoda; nec non ex plebe multos (infirmioris sexus & ætatis fæminas & pueros) in partes suas pellexerant; de Græcis loquor: nam minus poterant apud Romanenses, qui antiquis Francisci & Dominici familiis magis addicti, verebantur serio, ne societas hæc nova & negotiosa, nimium arrogando, veterem quietem & privilegia in discrimen adduceret. Siquidem rudia & effera Turcarum ingenia quantavis innovationem suspicioni & odio repente vertunt.

Collegium autem hoc gratis & charitatis ergo, Grammaticæ, Artium, & linguarum eruditionem professum, popularem auram captabat.

Cumque in illis partibus nulla pateret schola libera, & ob Typographorum penuriam magna esset librorum raritas, Græci (qui eruditionem majoris faciunt, quæ minoris constet) liberos suos facile patiebantur in Jesuitarum agris quodvis spicilegium facere, quo impensis suis parcerent. Eorum vero uxores hominum facundiâ & comitate haud difficulter alliciebantur, ad peccata sua auriculatim confitenda : quas illi jejuniis pallidulas & morosiores reddere, aut tetricis poenitentiis absterre inhumanum prorsus & societate sua indignissimum ducebant. Interea viri melioris notæ, & paulo sagaciores, præ cæteris, (Cyrillus Patriarcha & Provinciæ ejus Episcopi) anguem in herbâ subolebant, & quam juventuti suæ perniciem hic beneficii color inveheret, augurabantur; nimirum instare cuique tentationem, per Evæ suæ seductæ latera, in sinu grassantem : metuebant quoque, ne isthoc artificio Profelytos Roma educaret, qui olim totam subverterent Ecclesiam. Quapropter quam poterant modestissime, (ne in apertam dissensionem erumperetur) se suosque his seductionis illecebris subducebant. Hinc illæ lachrymæ. Nam ubi Jesuitæ se viderunt manifestos, cœpêre id per vim aggredi, quod dudum apud se constituerant. Primus impetus mense Februario anno Domini CIO IO C XXII erupit; cum Jesuitæ, Galliæ Legato fulti, Patriarcham cathedra movere tentârunt, & in ejus locum Græcum quendam substituere, qui novum & inauditum prius obsequium Sedi Romanæ pollicitus, Papæ clanculum se submiserat.

Cyrillus

Cyrillus postquam amicos consuluit, quomodo imminentem procellam declinaret, statuit lenitatem & charitatem experiri, ac primum, pro authoritate Pastoralis in proprium gregem, cum seducto Episcopo agere; nec mora, sabbato sequente in concione palam fecit, quæ contra se consilia agerentur, & in quo discrimine sua versaretur Ecclesia, à Jesuitarum nomine prorsus abstinens, neque secus eos indicans, quam in genere, idque modeste, monendo suos, ut caverent sibi à quibusdam incendiariis & furiarum ministris, quibuscum severius agere cogeretur, nisi incepto desisterent. Deindè una cum quatuor Archiepiscopis assistentibus, & præsentem Clero, Græcum illum Episcopum, qui inimicis suis nomen dederat, excommunicavit; sperans hos miti exhortatione, illum exemplo in se edito, compositos fore, & pacem, quam Christus reliquit, Ecclesiæ sartam tectam.

Eam maculam, hac ejectâ, induxit Gallico-Jesuitica factio, litem hanc incidisse, quia Patriarcha cum Lutheranis & Hæreticis versabatur, adeoque & idem fermentum & ipse necessario sapiebat. Jesuitas itaque hæc modestia magis exasperavit. Nam Visirium nacti, qualem optabant, aliquanto audacius & apertius, Aprili sequente, Cyrillo subornarunt accusationem; moliri eum prodicionem insulæ cujusdam, in Archipelago sitæ, in Florentinorum potestatem; & 20000 Dalleriorum promissione obtinuerunt, ut in gratiam excommunicati Episcopi, Patriarcha apprehensus dignitate deiceretur, & captivus relegeretur Rhodum; (ubi quibus miseriis

& quantis contumeliis vir magnus conflictatus fit, quivis conjecerit) tum etiam ut suæ factionis Græcus in ejus locum sufficeretur, At Ecclesia Græca, etsi præsentī furori & violentiæ contraire non audebat, noluit tamen Pastorem, qui per portam non intraverat, agnoscere, aut adventum ei gratulari, aut Ecclesiam Cathedralē adire, aut (quod maximi momenti erat) pecunias conferre, quibus Imperatori (ut moris est) satisficeret pro investiturâ: quarum etiam spe plurimum Galli se lætabant; cum Româ promissos nummos minime venisse, neque diu (ut res erant) expectari posse viderent. In his angustiis cum quid agerent, vix invenirent, egerē Jesuitæ cum Archiepiscopo Adrianopolitano, (homine parvi pretii, sed magnarum opum) ut, cedente altero, ipse munus capefferet; cui cum placeret conditio, partem Simoniacæ mercedis illico persolvit, reliquam, Turcicâ autoritate usus, à misellis Græcis extorsit, adeoque sibi specie tenus sedem satis stabiliverat. Verum Jesuitis non erat animus, hominem finire in sede consenescere; sed locum tantum ad tempus implere, donec haberent à Papa suppetias, & alium quempiam, suis consiliis magis idoneum: quâ mutatione sperabant omnes Græcos Papali causæ, & in manus suas, brevi accessuros. In quibus turbis ædes Patriarchales, antiquis manuscriptis, aliisque Ecclesiasticis ornamentis, & suppellectile fuerunt expilatæ.

Septembre proximo Cyrillus, amicorum & multi argenti ope, libertati restitutus, Galatam rediit: quo simul pervenit, continuò Græci omnes

omnes ad eum confluere ; quod Adrianopolitanus animadvertens, adeoque intrusionis suæ sibi conscius, (cum verus Pastor neque resignasset munus, neque canonice esset exauthoratus) secreto & sponte Cyrillum adire ; ei se submittere ; offerre muneris concessionem. At Cyrillus munus recipere absque Magistratus concessu, aut novâ Synodi vocatione non ausus, satis pro præsentis ratus est, si vacaret Ecclesia, & expectaretur tantisper, quid inde sponte emergeret. Legatus Gallicus, factus certior de subitâ à se defectione, Adrianopolitanum, ex Jesuitarum consilio, in ædes suas accersit, & ad sedem suam tuendam hortatus, non tantum protectionem cum à Papâ, tum à Rege suo ; sed & 40000 dalleriorum, ad dignitatem ejus sustentandam, pollicitus est. Denique qua blanditiis, qua minis, infirmi hominis impotentiam expugnavit ; tum continuò Interpretes suos & Janissarios mittere, qui eum in Cathedram reducerent, & Galatæ Patriarcham eum proclamare, nec non minitari, si quis homini non obsequeretur. Protervum facinus ! & quale non aliud hominum genus auderet !

At Clerus Populusque illegitimam hanc sine ullâ consecratione formâque debitâ irruptionem exosus, & quæ ruina hoc exemplum (si obtineret) esset sequutura, prævidens, Pastori pristino semper adhærebat : quod novus Patriarcha denuo apud se, quam in ædibus Legati Gallici, maturius pensitans, veritusque sibi censuram & infamiam, si Cyrillus jus suum recuperaret, quâ viâ antè, libertatem : inconsulto Patrono suo, noctu

noctu sedem reliquit, & Cyrilli Patriarchæ sui clementiam & absolutionem implorans, omni sive Gallicæ, sive Hispanicæ, aut Romanæ factioni penitus renunciavit. Ibi tum Cyrillus animos erexit, & amicorum ac pecuniæ auxilio (vidente & indignante inimico) Imperatoriarum literarum auctoritate restitutus est. Sed hæc contentio constitit 60000 dalleriis, quos usuris maximis ad extremam ferme totius Ecclesiæ ruinam Græci mutuo sumfere. Nec unquam eluent hanc invidiam Jesuitæ, (& fautor ipsorum Gallus) quod Turcam docuerint, hisce altercationibus posse ingentes summas extorqueri à Christianis, qui prius pauperes Monachi audiebant: quod quidem numquam dediscetur, & aliquando sedem ipsam Patriarchalem pessum dabit. En zelum Religionis & Patrum charitatem.

Magna spes erat pacis, cum tempestas resæviit. Januario insequente Caloira quidam Archimandrita, Româ missus, à Legato Gallico in domum suam acceptus est. Ille vero pollicitationem attulit à Congregatione, cui titulus, *De Propaganda fide*; non despondendum animum; etsi nuper destituerit eos pecunia, parata nunc esse 20000 dalleriorum, quæ brevi transmittentur, si Cyrillus possit exauthorari, & quisquam alius, cujus obedientia filialis esset iudicia, in ejus locum substitui. In hunc finem Papæ auctoritate convertenda 10000 dalleriorum, à viduâ quâdam Galla in usus eleemosynarum legata. Hac fiducia, novæ technæ cusæ, novæ accusationes confutæ; quibus opportunè detectis,

detectis, maturè obviam itum: quod iterum pauperculæ Ecclesiæ non parvo sumptu stetit. Anno sequente persecutio, ut videbatur, desæviit: sed astu & per cuniculos res gerebatur. Romæ enim decretum, Cyrillum precio aggredi dein corruptum prodere, eique famam ac fidei existimationem apud amicos adimere. Ad eam rem summissi sunt Roma circa Februarium 1624. Jesuita quidam Berillus, (ingenio satis versuto) qui Patriarcham ad agendum secréto cum Causfacis (quod crimen erat Majestatis) adduceret; & Profelytus Jesuiticus, Græcanicus; (in Jesuitarum collegio Romæ educatus, cui nomen Canachio Rossi) quem secretis etiam sub signo & sigillo Cardinalis Brandini mandatis, de Cyrillo (splendido pollicitationum apparatu) ad reconciliationem pelliciendo muniverant. Sed quis fuerit ejus negotiationis scopus, & quæ harum irarum origo, melius judicabis ex ipsius mandati apographo, quod hic parenthesis instar subijcio. Meum est narrare, tuum ex sensu tuo colligere.

INSTRUT-

ISTRUZIONE

PER

CANACCHIO ROSSI.

I.

NOn vi essendo state lettere ne del Patriarca ne de Prelati non li si può rispondere, senon in voce, conformandosi alla relatione del Messso.

II.

La Chiesa Romana ha sempre desiderata l'unione e pace con tutte le Chiese, specialmente con l'Orientale, tanto per altri tempi bene merita della Chiesa Catolica. E non solo ne tempi antichi, ma ultimamente ancora del tempo del Patriarca Hieremia, ha fatto quel, che ha potuto per aiutarla e riunirla, non perdonando in cio, ne à spese, ne à fatiche. Anzi per questo stesso fine ha fondato e mantiene il Collegio de Giovani Greci con le sue rendite, accio che quella natione si nobile & ingegnosa ritorni à fiorire in pietà & in lettere, come altre volte ha fiorito.

III.

Nel particolare proposto del Patriarca presente, Nostro Signore, tanto gran Fautore e Padre della Natione Greca in particolare, come voi stesso sapete, & hauete veduto con gli occhi, volenterossimamente spenderebbe ogni gran somma di denaro, per riunir si nobil membro alla Chiesa, & aiutar in particolare quella Sedia, della quale dipende il rimanente

INSTRUCTIO

PRO

CANNACHIO ROSSI.

I.

CUM nullæ ad vos fuerint literæ neque à Patriarcha, neque Prælati, illis responderi non potest nisi voce.

II.

Exoptavit semper Ecclesia Romana cum omnibus Ecclesiis unionem & pacem, præsertim cum Orientali, aliquando de Ecclesia Catholica tam bene merita; nec id antiquitus solum; sed & novissime, tempore *Patriarchæ Hieremiæ*, quod potuit, fecit; quo eam juvaret, & sibi rursus adjungeret, ut id faceret, neque sumptibus, neque labori parcens. Quinimo in eum ipsum finem fundavit & redditibus suis sustentat Collegium Græcorum juvenum, ut tam nobilis & ingeniosa gens in pietate & literis denuo floreat, ut pridem floruit.

III.

Speciatim verò quod ad *Patriarcham* præsentem, *Dominus noster*, tantus Patronus & Pater Nationis Græcæ præ cæteris, ut ipsi novistis, & oculis vestris vidistis, ex animo quantamvis magnam nummorum vim impendere paratus est, ut tam nobile membrum Ecclesiæ reuniat, & eam sedem præcipue deligat adjutandam, à qua pendet

rimanente dell' Oriente ; ma supposte le Relationi, che di Constantinopoli sono venute, & vengono continuamente del Patriarca, non vede in che maniera si possa fare.

IV.

Di lui siamo auvisati, che nega l' Invocatione de' Santi ; il Colto e Veneratione delle Imagini, e Reliquie d' Santi ; la presenza Reale di Christo nell' Eucharistia ; la Libertà dell' Arbitrio ; l' autorità de S. Concilii ; le Traditioni ; l' autorità de' S. Padri ; la necessità della Confessione auricolare, e lo spiegare in essa li peccati della mente ; e che in loco di lei hauesse introdotta una certa Confessione fatta à Dio pubblicamente con parole generali : che manda i giovani à studiare nelle Vniversità d' Inghilterra e di Germania, (dove s' insegna questa dottrina) per poter poi per mezzo loro diffeminarla per il Levante. Che à questo fine ha fatto stampare, & egli stesso diffemina, dandogli à Vescovi, come Catecheli, pieni di questi e simili errori condannati, (già tanti anni fa) non solo dalla Sede Apostolica, e dal Concilio Tridentino, ma da' suoi Predecessori ancora : come egli stesso testifica, nella Professione della Fede lasciata tanti anni fa, in mano del Arcivescovo di Leopoli, riconoscendo questa e simili altre dottrine per heretiche : e dicendo, che per questo era impossibile, che la Chiesa Greca s' unisse mai con li Protestanti. Che à contemplatione delli Ambasciadori Hugonotti, con li quali liberamente comunica, ha tolto via il Synodico, & ha lasciato di far riverenza alla santissima Eucharistia.

V. Che

pendet quicquid de Oriente superest. Sed si vera sunt; quæ nobis de Patriarcha præfato Constantinopolitano sunt relata, & pergunt referri, non videt, quo istud pacto fieri possit.

IV.

Eum accepimus negare Invocationem Sanctorum: Cultum & venerationem Imaginum & Reliquiarum Sanctorum: Præsentiam realem Christi in Eucharistia: Libertatem Arbitrii: S. Conciliorum authoritatem: Traditiones: Authoritatem S. Patrum: Confessionis auricularis necessitatem, & in ipsa mentalium peccatorum explicationem, & in ejus locum induxisse Confessionem quandam Deo factam publicè verbis generalibus: mittere eum juvenes ad studia Universitatum Angliæ & Germaniæ, ubi ea doctrina docetur, quam per eos postea per totum Orientem disseminet. In eum finem curavisse excudendas, & per Episcoporum manus distribuendas Catecheses, illis & similibus erroribus refertas condemnatis ante tot annos, non à sede Apostolica tantum, & Concilio Tridentino; sed & ab ipsis Decessoribus suis, ut ipse testatur, in illa Professione Fidei, relicta jam ante multos annos in manibus Archiepiscopi Leopolitani, qua istas & similes doctrinas pro hæreticis agnoscit: & propter eas impossibile dicit, ut unquam Ecclesia Græca sese Protestanti adjungat: Inductum eum Legatorum Hugonottorum reverentia, quibuscum libenter versatur, abolevisse Synodicum, & reverentiam sanctissimæ Eucharistiæ exhibere desuevisse.

V.

Che desiderarebbe S. Santità, che tutte queste cose fossero false, e che lui come Capo di sì nobile nazione fosse tale, quale richiedono i bisogni presenti, e spirituali e temporali de' suoi sudditi, per poter con buona faccia & coscienza metter mano ad aiutar lo.

VI.

Che se queste sono calannie, e li pare di poter far constare à S. Santità la sua Innocenza, ne faccia capace l'Ambasciadore di Francia, o dell'Imperadore; che alla relatione loro, per esser persone di tanta autorità e virtù, si presterà ogni fede: e per mezzo loro mandi à nostro Signore la Confessione della sua Fede; nella quale accetti il Concilio Fiorentino, e danni gl'errori de' Calvinisti e Luterani, dannati prima da' suoi Antecessori; che non mancherà la Sede Apostolica d'ogni aiuto & favore per aiutare e rimettere in piedi la Chiesa di Constantinopoli, e tutte l'altre dipendenti da lei.

VII.

Che non è per richiedere S. Santità, ne da lui, ne dagl' altri Prelati Greci, altre conditioni, se non quelle, che si sono conchiuse e stabilite nel sacro Concilio Fiorentino; pur che, come fin ad bora a fatto la Chiesa Greca, condanni & anatematizzi le bestemmie degl' Heretici Settentrionali, come Luterani, Calvinisti, e simili.

V.

Optaverit S. Sanctitas, ut falsa essent hæc omnia, & ut ipse tanquam caput tam nobilis gentis talis foret, qualem postularent præsentia subditorum suorum, tum spiritualia, tum temporalia, negotia, & cum legitimo colore & conscientia manum posset ad eum juvandum admove.

VI.

Quod si hæ sunt calumniæ, & ille suam innocentiam S. Sanctitati probare posse se existimat, id declaret apud Legatum Galliæ aut Imperatoris, quorum relationi, utpote virorum magnæ authoritatis & virtutis, omnis adhibebitur fides. Per eosdem transmittat ad Dominum nostrum Confessionem suæ fidei, quæ admittat Concilium Florentinum, & damnet errores Calvinistarum & Lutheranorum, à Decessoribus suis damnatos. Quo facto non deerit Sedes Apostolica omnimodo auxilio & favori, quo Ecclesiam Constantinopolitanam erigat & restituat, & cæteras ab illa pendentes.

VII.

Neque requiret S. S.^{tas} vel ab eo, vel à Græcis Præfulibus, alias condiciones ab iis, quæ sacro Concilio Florentino concluduntur & stabiluntur; dummodo, ut antehac fecit Ecclesia Græca, condemnet & anathematizet blasphemias Hæreticorum Septentrionalium, puta Lutheranorum, Calvinistarum, & similibum.

Igitur Canacchio Rossi sponte fufceperat, in Patriarchæ converfione bene mereri de Ecclefia Romana. Cyrillus hominis miratus audaciam, & respondere & filere pariter timebat. Tandem, quia Cardinalis ad ipfum non fcribebat, ftatuit rem negligere, & utrum patientia ipfum hoc laqueo expediret, experiri. At Jefuitæ, quibus hæc moderatio minus placebat, præfentem affenfum & fubfcriptionem flagitare; Epifcopos aliquos, ad factionem Romanam inductos, ad Cyrillum cathedrâ deturbandum invitare; offerre 20000 Dalleriorum, pientiffimo operi impendenda, modo unus ex illis in ejus locum fufficeretur. Hâc tempeftate coactus fuit Cyrillus fecedere & latere, donec amici revelaffent Magiftratuî myfterium iniquitatis, latens fub hac negotiatione, & quas infidias rebus Imperatoris Turcici ftrueret hæc commoda Pontifici Romano rerum Græcarum alteratio: quod etfi ab amicis ejus præftitum, tamen (quæ confuetudo eft hujus Aulæ) ut Cyrillum expedirent, fumptum fecerunt decem mille dalleriorum.

Tandem aliquando fperabat pacem Patriarcha. Sed ecce novum confilium in Collegio Romæ initum. Imprimis feipfos altius accingere & munire, antequam manum cum inimicis conferebant; mittendum Antipatriarcham, qui à Papa abfolutam haberet poteftatem; fed titulo tantum Suffraganei Apoftolici, & una Quæftorem Ecclefiafticum; neque enim aufus fuiffet S. Petrus Gallico Legato nummos credere: Ipfum tamen iis jungendum propter ejus zelum & authoritatem

thoritatem, & Jesuitas propter consilium. Huic Triumviratui data facultas plantandi, eruendi, ferendi, evellendi, nihil non agendi, quod causæ Romanæ conducere. Præterea ad firmitus stabilimentum statutum, Romanenses Episcopos (artificio Tridenti satis noto) Smyrnæ, Naxi, aliarumque Insularum titulo creare, qui Græcis antistarent, eosque eruditionis fulgore præstringerent, & tandem supplantarent. Quæ Missio magnam sustinebat expectationem.

Circa Decembrem anno Domini 1626. Naxum venit Suffraganeus, quo Legatus Gallicus Episcopum loci & Sacellatum suum misit, cum duobus Jesuitis, qui illi adventum gratularentur. Ab illis Chium usque deductus, ibique apparatu splendido exceptus est. At ille, quam par erat, asperius & properantius officium exercere cœpit. Exspectasset patefieri, donec Gallici patrocini ala obumbratus, sensim & per gradus semet stabiliisset. Plurimos offendit hæc innovatio. Timebant Laici, ne de suo jure, & (quem vocant) Ecclesiarum Patronatu, aliquid decederet. Augurabantur prudentiores, Christianæ libertatis periculum, & per Patriarchæ latus omnes Ecclesias peti. Quod si qua hinc oriatur offensus, Turcam fontes & infantes juxta habiturum, utpote omnes Francos appellatos. Quin & ipsi Religiosi Romanenses, tam vicinæ potestatis impatientes, Suffraganeum in Conventibus suis hospitio recipere noluerunt. Græcus Clerus & authoritati suæ & fidei antiquæ subversionem luculenter prospiciebant. Soli triumphabant

bant Jesuitæ, & Orientem spe jam regebant. In his difficultatibus, aliis desperatio, aliis charitas animos addidit ad ararum & focorum defensionem. Igitur potentium amicorum hortatu, opera, & intercessione, exitialis & imminens ictus occupatus est : & indicati Visiero doli quietè & sine scandalo irriti cessere. Suffraganeus clanculum se subduxit : Episcopi Titulares, Roma emissi, in carcerem coniecti : Privilegiorum literæ ademptæ, infrendente magno eorum Patrono, præ dedecore & Clientum suorum infortunio. Ultima hæc repulsa eos ad rabiem adegit : sed infestis animis defuit occasio.

Menſe Junio A. D. 1627. appulit, navi Britannica vectus, Nicodemus Metaxa Calloira, genere Cephalonienſis, ſecum Græcos typos afferens, ſuo ſumptu fuſos ; & libros varios Londini excuſos, ad ſuæ nationis beneficium, plane incredibili ignorantia ſepultæ, ob inopiam omnium ad eruditionem adminiculorum. Simulac in littus fuit expoſitus, convenit Patriarcham, eique zelum ſuum in Eccleſiam declaravit : & mox ab eodem, per Corinthiacum Archiepiſcopum, Magnæ Britannię Legato commendatus fuit, ut optimum ejus ſtudium promoveret, & efficeret, ut hæc impedimenta, (licet gravia) procul omni quæſtione & mora, per Telonium tranſirent. Quod etſi prævidebat Legatus, daturum nonnihil moleſtiæ & turbis occaſionem ; tamen libenter in ſe ſuſcepit : prius tamen cum Cyrillo & Gelafio Alexandria Patriarcha, (qui tunc ob domeſtica negotia in
Porta

Porta forte aderat,) necnon cum Fœderatarum Provinciarum Legato ordinario, ea de re egit. Existimabat autem in ejus naturæ negotio, per se honesto, & quod recte defendi possit, agendum aperte, & cum publica venia, quam à Vifio adeptus, & libros & typos domum recepit: atque difficultatem omnem quoad Turcas superatam autumans, neque quicquam offensæ à Christianis veritus, ob rem innoxiam & nemini damnosam, Metaxæ labori & industriæ suum præbuit patrociniū.

Cupiebat Patriarcha in domo Anglica Typographicas operas exerceri: sed Legatus non assensit ob privatas causas; id autem fieri in aliqua domo, quam ipse precio conduceret, & nomine suo protegeret, consuluit. Ea quam primum parata est, non procul ad Angli, sed vicinior Galli: à quo minime timendum videbatur, (cum Ecclesiarum unionem prætenderet) ne Christianum opus impediret, aut quicquam patraret, quo earum tranquillitas & concordia labefactaretur. Quod tamen longe aliter evenit.

Vix bene operas suas Metaxa in ordinem digesserat, Gallus & Jesuitæ indignari, quasi libros contra Romanam Ecclesiam de industria pararet imprimere, aut saltem Catechismi aliqujus editione eorum emolumenta imminuere, quæ ex juventutis institutione & seductione captabant. Initio, Metaxam ad suas partes allicere conati sunt, eum in Monasterium suum blande invitantes; tum monentes, si se

iis adjungeret; brevi finistram famam posse elui, qua laboraret propter studia in Angliā acta. Sed cum phaleratis verbis non posset duci, tum illum Lutheranum & Hæreticum appellare, quod Anglorum uteretur patrociniō: incusare, quod typi essent Regis Angliæ scuto percussi; adeoque Insignia ejus in capite aut sine cujusque libri mali esse augurii, & hæresin sapere. Quid enim aliud expectandum ab hæretico fonte, aut ab eo, qui cum hæreticis versaretur?

Parum commoverunt Angliæ Legatum hæc obloquia; norat enim, unde hæc indignatio, nempe à libro contra Pontificis Romani suprematum à Meletio Alexandria Patriarchâ scripto. Sed eo furor iste processit, ut submonitus fuerit Metaxa, fore, ni sibi caveret, ut in lecto confoderetur, aut in via, dum nocte ab Angliæ Legato ad se remearet. Quod quidem discrimen & obnixæ Metaxæ preces Legatum permoverunt, ut ei (scilicet ejus tantum personæ) cameram in domo sua commodaret. Quo factō, interdiu continuabat opus suum, vesperi ad Legatum cum custodia rediebat.

Neque vero adhuc satis honestam nocendi occasionem inimici nanciscebantur: cum Patriarcha Tractatulum à se compositum prelo commisit; nempe fidei & sententiarum Græcarum Ecclesiarum Expositionem, nulla quidem controversiarum mentione, aut diversarum opinionum censura habita. (Scriptus enim

enimi erat, tantum ut satisfaceret orbi Christiano, apud quem calumniis laborabat.) Cum sparsum est in vulgus novas eum opiniones in Ecclesiam invexisse, cum magno gregis sui scandalo, libellum hunc Regi Magnæ Britanniae dedicare constituerat; ejusque excudendi opportunitatem nactus, quam præmitteret, epistolam adaptabat. Istud vero Jesuitas (Orientalis Ecclesiae ad illum Monarcham applicationem fieri nullo modo ferentes) ita incendit, ut sese diutius continere non valuerint, quin cum Galliae Legato in ruinam & authoris & operis & opificum conjurarent. Nacti igitur alium libellum, à Patriarcha scriptum, adversus Judæos, in Anglia excusum, & inde allatum à Metaxa, quædam loca ejus deprehenderunt, in quibus Author modeste carpit Turcarum opiniones. Hoc illi commodum ad nocendum rati, subornarunt scurram quendam (olim Vaivodam Galatæ, versutia juxta ac gratia apud Vifierum pollentem) qui Vifiero insinualet, Metaxam hunc esse armorum bellicque peritia insignem; missum ad seditionem ciendam; eum prætextu libellos imprimendi in usum puerorum uti, ut alios adversus Alcoranum spargeret libros, ex Anglia asportatos; sub Angliæ Legati auspiciis omnia hæc agitari; libellos à Patriarcha compositos, quo Græcos ad rebellionem excitet; multos eorum ad Caucasos transmissos, ut eos ad bellum provocet, Imperatore in Asiam profecto, cujus expeditionis erat expectatio. Quæ sane capitales

accusationes Cyrillo & Metaxæ, Legato insuper Anglico, auctoritatem & existimationem minuere valuissent; forsitan & ipsum & negotia perdere, propter quæ apud Turcas residebat.

His permotus Visierus, extemplo domum Metaxæ adoriri statuit; eumque in ipso actu deprehendere, adversus Mahometis legem aliquid excudentem: quod ut fieret, mandavit illico Centurioni & cohorti Janissariorum; exemplo quidem insolito & imprudenti, militibus habenas solvere, qui vix unquam legibus continentur, quin diripiant omnia.

Patrandum fuerat die Veneris Januarii 4. præclarum facinus: sed Legatus Galliæ, cum forte audivisset, Anglicum vocasse convivas in diem Epiphaniæ (sive Regum) Patriarcham & Venetum Baylium, rem in duos dies distulit, ut (inquirebat) condimentum eorum epulis adderet. Ea igitur die (ipso meridie) 150 Janissarii armati Metaxæ domum obsedere, & omnes ad Anglum aditus intercludere. Ubique pavor & rumor, cujus causa ignorabatur. In hoc tumultu Anglici Legati Secretarius & Metaxa, redeuntes à templo Galatæ, præteribant, comitati serius quibusdam, qui repente Dominum suum (ut seipsos afferrent) Metaxam indicarunt: sed cum pileo & vestitu ab Anglis non distingueretur, Anglico Secretario creditum, eum ad Dominum suum pertinere asserenti, ita ut salvus è militum manibus in Legati domum elaberetur. Janissariorum Centurio, cum eum desideraret, quem

quem præsertim quærebat, omnes fervos vinxit, arcas confregit, supellectilem, tabulas, typos, chartas, libros, argentea vasa, nummos, vestes, & quæcumque tolli poterant, (ut rei Majestatis bona) ad pretium 4000 Dalleriorum avexit: Inde cum præda egressus, & à quodam Drogamano (Interprete) Gallo (qui sese tumultui immiscuerat) monitus, fugisse reum ad Anglicum Legatum, respondit, (delatorem charitate superans) sibi non esse in mandatis eum illuc sequi.

Legatus Anglicus, etsi pro rei merito graviter offensus, nihilominus ne inde perturbari videretur, quantum per hujusmodi tempus licebat, hilarem (ut occæperat) egit diem. Interim rumores evagari, eum adversus Imperium Ottomanicum conspirare, opus Typographicum excogitatum ad simulandas Imperatoris literas, aut monetam adulterinam percutiendam, & similia, quibus ignorantia aut invidia vulgo solet imponere.

Die sequente, Libri per duos Græculos (esurientes Renegados) examinati fuerunt. Tractatus Patriarchæ, per Jesuitas blasphemiam notatus, in medium affertur. Locus (quem urgebant maxime) coram Visiero & aliquot Mulassis interpretatus: nihil inventum, quod vel Authorem vel Typographum ex legibus reum capitis faceret. Patriarchæ tamen coram Magistratu citato multæ criminationes intentatæ; sed omni probatione pariter ac probabilitate minores.

Neque

Neque tamē adhuc Visierus suspicionem exuerat, quod Metaxam armorum bellicue expertum cum Caussacis consilia commutare, & Angliæ patrociniō sese dedisse audiverat; cum ejusdem Insignia Regiā, fronti libri præfixa, ipsi ostentarentur. Sed hæc dubia brevi remota sunt. *Judicio ad Musti delato, sententia lata est, Dogmata contra Mahometis Instituta, non esse continuo blasphemias, aut criminibus annumeranda. Cumque permisisset Imperator Christianis doctrinam suam profiteri, ipsos non magis reos esse typis mandando, quam pro concione prædicando publice, quid crederent: neque diversitatem opinionum, sed scandalum legibus pœnisque obnoxios facere.* Postquam prima illa & palmaria objectio eversa fuit, facile quidem cæteræ eodem nixæ fundamento conciderunt.

Tertia die Legatus Anglicus, aperte se producens, Visierum adiit, & ipsi libere protestatus est, se Metaxam ædibus suis excepisse, quibus præsidio esset adversus militum & inimicorum impetum, & ejus innocentiam ut tueretur. Præterea Visiero in mentem revocavit, ipsum & hominem & negotium nosse: illum esse Caloiram, nobilem, Senatus Veneti subditum, ab ejusdem Baylio sibi commendatum. Dein datam illi ab ipso (Visiero) veniam typos & inferendi, & exercendi: postremum nihil actum ipso renuente aut inconsulto: ideoque mirari se, qui sic temere amicos suos & suspectos habere, & eorum
ades

ædes hostili more adoriri, & bona diripere aggressus esset, ut obsequeretur iis, quorum dolos & inimicitiam probe cognosceret; quin & accusationis ventulo eo transversum rapi, ut (inscio se, cujus res agebatur) milites mitteret, qui vim inferrent, cujus fera nimis foret poenitentia.

Visierus, ubi & hominem, (quem norat) & circumstantias omnes revolvit, & injuriam ei factam, cui maximè fidebat, Legato Anglico pigere facti; dejerare se nihil unquam de eo diffusum, aut contumeliam adversus eum meditatum: mirari se eorum impudentiam, qui ipsi hunc dolum & mendacium obtruserant: denique profiteri, (ut Legatus pro dignitate & honore suo divulgavit) non ante se velle haberi hac noxa exolutum, quam Metaxæ salva bona & integram existimationem restituisset; & sceleris authores suo irretitos laqueo, imò & severo exemplo punitos; tunc sane rogare, ut amicus (quemadmodum antea) haberetur. Hâc Legati opera & intercessu Patriarcha cum Visiero in gratiam rediit: ipsius Musti, (quem continuò Angli adiêre) ut illorum fraudem, horum innocentiam ei exponerent) favorem adeptus est.

Proxima ab hoc impetu die convenerat Patriarcham Cannachio Rossi (Cardinalis Brandini Emissarius) ut insultaret & illuderet afflicto; qui leniter ab eo rogatus, quousque tandem suam patientiam essent tentaturi factionibus improbis? & quo cæstro perciti,

citi, suæ vitæ fecerint insidias? Respondit, se duobus criminibus ei succensere; primum; quòd feveret Metaxam, eumque fineret concionari hæreticum & apud Hæreticos degentem. Secundo quia librum hæresibus refer-tum prelo commiserat, dedicatum Regi Magnæ Britannæ, Hæreticorum capiti: sed si librum vellet retractare, & Metaxæ renun-tiare, fore, ut Legatus Gallicus pro eo depre-caretur.

Proximus post has turbas Tabellarius Ro-ma attulit Acta Consistorii, in ædibus Cardi-nalis Brandini coacti, super negotiis Constan-tinopolitanis, ubi inter alia decretum est, Pa-triarcham animi inquieti & meditatæ contra Imperium Ottomanicum insurrectionis accu-sare, quod Calvinistarum commercio uteretur, atque juvenes in eorum scholis instruendos mitteret; hujus autem consilii cura demanda-retur Legatis Principum in ea Aula causæ Ca-tholicæ faventium. Quod cum novissimo co-natu collatum; satis liquido probavit, alterum ab altero dependere, & utrumque ex eadem officina prodiisse. Quod apud se pensitans Pa-triarcha, & nullam inveniens in patientia sa-lutem, ne deesse sibi & Ecclesiæ suæ penitus videretur, dehinc statuit experiri, an amico-rum ope eos posset expellere, qui ipsum ex-pellere tantopere faterentur. Et fama est, Le-gatum Anglicum (gravissime Cannachii Rossi-insolentia in Regis sui nomen offensum) & ejus amicum quendam, (virum rerum pruden-tia &

tia & favore non minus potentem) juncto umbone cum Patriarcha in Jesuitarum ejectionem, ut magno eorum Patrono ostenderent sibi voluntatem & malitiam, non potestatem offendendi prius defuisse.

Notavimus Legatum Anglicum plurimum iræ præ se tulisse, & gratia (qua valebat maxima) usum, & sæpius solito foras itasse. Neque solus ambulabat: Patriarcha enim (vir imprimis sapiens, atque gnarus, non esse sibi de victoriâ, sed de vitâ certamen) ei comes adhærebat.

Jesuitæ justam ultionem formidantes, omnes in Gallici Legati ædes sese recepere; unde, postquam duas septimanas latuissent, omnia in tuto (quâ in silentio) arbitantes, redierunt ad sua. Existimabant quoque Patriarcham & Legatum Anglicum id tantum ferio niti, & vix tandem assequuturos, ut se accusationibus purgarent, & quæ direpta erant, reciperent, adeo quasi in re tranquillâ & propemodum confecta boni Patres otiaabantur. Sed ecce inter hæc otia negotium. Ad eos venit, qui nuntiabat, Græcas quasdam mulieres (Confessionis ergo) adesse, eosque in horto Societatis operiri. Descendunt duo, qui statim à Visieri lictoribus correpti, & continuo alius apprehensus: dum Officiarii eorum ædes perscrutabantur. Id actum sine tumultu & scandalo. Nam & eorum Ecclesia clausa & obsignata fuit: Altaria & Vasa argentea conservata: quæcumque ad eos pertinebant, inviolata: libri

libri tantum (per legem Talionis) apportati, & Visiero traditi, quo & ipsi deducti, in ferreis compedibus circiter mensem asservati sunt; libri quoque inspecti, in quibus multò plura inventa, quæ eos ex Turcarum legibus reos facerent, quàm vel in Codicibus vel Actionibus Patriarchæ. Eodem tempore Canacchio Rossi & libri ejus apprehensi, superioribus fuerunt (tristi consortio) additi. Ibi Gallicus Legatus alloquium ab Imperatore flagitare; sed cum non impetraret, Nobiles & Magnates omnes, frequens ambire, præsertim Mustium: à quo haud aliter exceptus est, quam admonitione, ut moderatius honestiusque sese in posterum gereret; & ea tantum curaret, quæ sibi mandata. Ille vero nihil ad diligentiam omittere; sed nihil proficere: quandoque Fœderis ruptionem interminari, fidem accusare; commercium prohibere; sed paraverant Turcæ responsum, acturos se de ea re cum ipsius Domino Rege Galliæ, & curaturos ei satisfactum. Postremo Jesuitæ barbarum lassæ, & de vita periclitantes, (criminum cum satis esset) eos experti sunt minime malevolos, quorum inimitiam merito suo maxime formidabant. Hi enim, ut vitaretur scandalum, & Christiano sanguini parceretur, intercesserunt, & vitam illis impetrarunt. Tandem post multas deliberationes eo inclinavit sententia, ut exilio multarentur, & omnibus Imperatoris Turcici provinciis & ditionibus illis interdiceretur;

libri

libri redderentur, & omnis suppellex : gratias eorum precibus agant, à quibus, ut sic benigne secum ageretur, non erant promeriti. Hoc pacto manifestum, non fuisse animum prædandi, aut bona eorum expilandi, qui sub Regis Galliæ patrocinio vivebant. Missa Chion, Smyrnam, Aleppum, atque Cyprum mandata, ut Societatis hujus factiones penitus prohiberentur : quæ eo ambitionis & avaritiæ ascenderant, ut Sepulchrum Hierosolymitanum, exclusis Francischanis, aucuparentur : & tantum non aperta vi extorquerent. Quæ controversia Romæ probe nota est. Denique cum custodia & compedibus naviculæ impositi, & Chium missi, ut ibi proximæ navi, quæ in Provincias Christianas esset abitura, omnes committerentur : interim (eo loci) carceribus inclusi permanerent. Ubi ad Castella Helleponti ventum, Præfectus in Gallici Legati gratiam, (cujus animum prius intellexerat) eos ulterius progredi non passus est ; quia literas Bassæ non attulerant : unde Constantinopolin fuerunt revecti ; sed eadem custodiâ semper detenti. Ibi continuò rumor in vulgus emanavit, Jesuitas revocatos & brevi restituendos.

At Visierus suam auctoritatem spretam, jussa elusa, & hanc sibi contumeliam oblatam ubi sensit ; tantum concepit furorem, ut quin eos extemplo morte plecteret, vix sibi temperaverit. Sed ubi ægre deferbuit ira, Chium denuò ablegati, & navi Christianæ impositi, in Italiam navigarunt.

Equi-

Equidem eorum exilio neminem vidi afflictum, præter unum Galliæ Legatum, cujus familia non videbatur tota ejusdem affectus. *Catholici cæteri*, præ omnibus Religiosi, & Franciscani Hierosolymitani, immensum quantum lætabantur, se hujusmodi peste levatos, & factiosi Ordinis formidine liberatos. Quin etiam audio ipsos Jesuitas ingenuè fateri, se Legato Anglico devinctos plurimum; & Romæ cum publicè de rebus suis referrent, culpam omnem in Gallici Legati temeritatem & incogitantiam rejecisse. Missi quoque Smyrnam, qui apprehenderent duos Jesuitas, qui Gallici Consulis patrocínio se tuebantur: sed cauti opportunè sese abdiderunt, aut fuga sibi consulere.

Restabat dicendum, toto tempore, quo Legatus Anglicus post hæc in his regionibus stetit, Gallicum cessasse, & nihil movisse per quinque menses. Sed tandem considerans suam in Gallia gratiam & fidem plurimum à Roma pendere; ubi amplissimam cum zeli sui, in Causam *Catholicam*, tum ad eam tuendam, potestatis suæ famam excitaverat: (persuaserat enim Collegio Cardinalium, se Græcam Ecclesiam Romanæ subjecturum; qua in re judicarunt prudentiores, male eum de causa & de suo Domino mereri. Nulla enim certior aut expeditior via ad rerum *Catholicarum* inter Turcas everSIONem, quam quid in veterum Catholicorum regula, moribus & privilegiis, quibus juxta cum conscientiis libere fruebantur, innovare:

innovare : Gallicus igitur, ut qui se funditus perditum existimaret, nisi famam fidemque suam labantem suffulciret, aliqua saltem specie Jesuitarum restitutionis, istud hoc commento effectum iri non desperavit.

Habebat duos domi Jesuitas, qui secreto ad eum confugerant, nec inde, quam post unum mensem ab Anglici Legati discessu, prorepere ausi sunt. In horum gratiam ab Imperatore petiit, ut Sacellanis suis liceret mortuos suos sepelire, & alias Officii sui partes exercere. Quod cum obtinüisset, divulgatum mox fuit, eum Jesuitas restituisse. At restitutio ista quomodo constet, ut pernôris, en verissimum Mandati Imperatorii apographum. Tu judica, utrum vulneris hujus labra ita perfecte coaluerint, ut passim prædicatur. Sane multum differunt, vulnus sanare & cutem obducere.

COMANDAMENTO

del GRAN SIGNORE indirizzato ad

ASSAN BASSA,

Capitano del Mare, & al Cadi
di Galata.

A *L giungere del Ecc.^{to} segno Imperiale, vi sarà noto, come l'Ambasciadore di Francia per * Ars mandato alla mia Felice Porta m'ha fatto intendere, Che non essendo la loro legge & Religione simile à quelle degli altri Christiani, che sono nel mio custodito Imperio, fecero però nel passato, con l'Imperial mia Licenza, venire dagli paesi di Francia li Religiosi, nominati Giesuiti, i quali, da 25 anni in quà, stando in Galata nella Chiesa nominato San Benedetto, à loro destinata, per sinistre informatione date, furono essi mandati agli loro paesi; e dall' hora in quà, ritrovandosi la detta Chiesa serrata, ne essendovi Religiosi, che possono assistere alle cose necessarie delle persone loro, che vengono à morire. Per tanto supplicando, che si sia dato mio nobil Comandamento, perche (eccettuati i Religiosi sopradetti mandati via & altri de' paesi alieni) possano porre in detta Chiesa quelle persone de' Religiosi Francesi, e della medesima Religione*

M A N D A T U M

Magni Domini

I M P E R A T O R I S
T U R C A R U M,*Directum Assano Bassæ Capitaneo
Maris & Cadio Galatæ.*

EX parte excellentissimi Domini Imperatoris sit vobis notum, quod *Legatus Franciæ*, per supplicem libellum, missum ad meam felicem *Portam*, mihi notum fecit, Se, cum non sit de ea *Lege & Religione*, quam colunt reliqui Christiani sub meo firmissimo Imperio, antehac evocasse cum Imperiali meâ licentiâ è Regione *Franciæ Religiosos*, quibus nomen Jesuitis, qui cum ante viginti quinque annos commorati fuissent Galatæ in Ecclesia dicta *S. Benedicti*, sibi destinatâ, per sinistras informationes contra ipsos, in patriam suam ejecti fuerunt: & ab eo tempore hætenus cum occlusa fuerit *Ecclesia*, nec ibi adessent *Religiosi*, qui præsto essent morientibus, necessaria ministraturi. Quare supplicantibus, ut ipsis nobile meum mandatum daretur, ut, exceptis *Religiosis* supra dictis ejectis, & aliarum nationum aliis, possint collocare in supradicta Ecclesia illos ex *Francis Religiosis*,

Religione, che si trovano al presente qui eletti e destinati da loro, senza che huomo habbia ad inferirli molestia.

E però in conformità uscito il mio Comandamento, onde Comando, che al pervenirvi dell' Imperial mio Comandamento dobbiate quello eseguire. E perche, si come di sopra, non hanno le sudette Persone Religiose, che possino far le Functioni necessarie agli morti loro, (eccettuando i Religiosi mandati via per avanti, e quelli de' paesi nemici) possino pero porre in detta Chiesa quelle persone per Religiosi, che siano Francesi, e della medesima natione, che al presente si ritrovano qui, e che da essi saranno destinati; e mentre che non facciano alcun mancamento nel carico loro, e che non operino cose, che siano contrarie all' Imperiale mia Volontà, non siano molestati d'alcuno.

Post

giosis, & ejusdem Religionis, qui inpræsentiarum hic inveniuntur electi & destinati ab illis sine ulla ab ullo molestia.

Quapropter in eum finem *Mandatum* meum emissum est, per quod *jubeo*, ut accepto meo Imperiali mandato ipsum debeatis exequi. Et quoniam (ut supradictum) nequeunt supradicti *Religiosi* fungi officiis erga mortuos suos necessariis, (exceptis *Religiosis* prius ejectis, & aliis è regionibus inimicis) possint in supra dicta Ecclesia Religiosos collocare, qui Franci sint, & ejusdem nationis, qui inpræsentiarum hic reperiuntur, & qui ab ipsis destinabuntur; & interea dummodo in munere suo nullum committant delictum, & nihil faciant *Imperiali* meæ voluntati contrarium, à nemine molestiam accipiant.

Notabis eloquentiam Turcicam, & sensus brevitatem, quæ bonum Interpretem non admittit,

Post has literas isti duo Jesuitæ (quos apud Gallicum *Legatum* latitasse dixi) solemniter & cum magna ostentatione è domo ejusdem deducti sunt ad *Sancti Benedicti*, ibique locati, ut *Legati Sacellani*. Hæc illa est totius Ordinis restitutio, quam Romæ increbuisse ex tuis perspicio. Neque vero putabat Legatus Gallicus, *Mandati* hujus copiam unquam prodituram foras, aut criticis & captiosis ingeniis tot inquirendi ansas præbituram, quo minus esset quietus ab hoc negotio. Quærunt enim, quæ tandem sit ista *Gallorum Religio*, ab aliis *Christianis*, qui *Turcico Imperio* continentur, diversa? Siquidem *Galatæ* sunt quinque *Romanistarum* templa & *Monasteria*, quibus *Galli Capuchini*, *Dominicani*, *Franciscani* commorantur. Secundo, quæ sint illæ (si diis placet) res aut ceremoniæ, homini Gallo necessariae, in mortis periculo, aut post mortem, quas nullus horum (*Religiosorum*) Ordinum queat perficere? Rogant quoque, quinam per has literas Imperatoris restituantur? si Religiosi supra nominati & Peregrini (ut videri possit) excipiantur. Ad quæ responsum audio, Primo, novam hanc Gallorum Religionem esse tantum *Jesuiticam* & *Gallico-Legatinam*, quam *Christianissima Majestas*, *Parlamenta*, *Sorbona*, *Viri in Gallia*, quibus *Ecclesiæ Gallicanæ libertates* cordi sunt, nondum approbant. Secundo, hominem morientem (cui salutis suæ cura est) à *Jesuita* debere absolvi, aut mortuum ejusdem veste sepeliri. Denique, nullam restitutionem esse nisi Gallico-Legatinæ (modo dictæ) *Religionis*, & eorum, (qui tunc *Galatæ*) duorum nempe *Sacellanorum*, qui in

mortis

mortis negotio adessent, non autem *Jesuitica Societatis*. Postremo, apud viros bonos & prudentes, istâ re penitus perspectâ, firmum manet, *Legatum Gallicum* non tantum honoris & beneficii Jesuitis attulisse, quantum dedecoris & ludibrii sibi suæque genti, Religionem ejus ad Jesuitas coercendo, & Clerum suum ab omnibus aliis Ordinibus separando. Quæ tamen ut tegantur incommoda, colorem aliquem veritati inducendum. Sed non est animus mihi commentari, multo minus comminisci: & jam dum tibi obsequor, longius evagatus sum extra *provinciam meam*. Quod condones, oro.

Ill. Dom. tuæ omni fide & constantia studiosiss.

Galatz 9 Novemb. 1628.

C. P.

DE VETERIS
GRÆCÆ ECCLESIAE
HYMNIS,
Matutino & Vespertino,
COMMENTATIONES DUÆ.

Authore THOMA SMITHO, S.T.D.
Et Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero.



HYMNUS MATUTINUS *Græcorum.*



UM plurima de libris Liturgicis Græcorum, & præsertim de hymnorum & precum formulis illic reperiendis, quæ non minimam sacri cultûs partem constituunt, non inutilitèr observari possent, ex harum ingenti copiâ vetustissimam juxta ac piissimam Doxologiam paucis illustrare proposui, tum quod invictissimum Catholicæ veritatis argumentum contra nuperos Dogmatistas, qui sub sincerioris Theologiæ titulo antiquam & Apostolicam de sanctissimæ Trinitatis & Divinitatis D. nostri Jesu Christi mysteriis fidem subdolè & impiè depravârunt, meritò debet æstimari: tum quod in Ecclesiæ Anglicanæ Liturgiâ, quæ resectis, quas assuerat superstitio, laciniis, juxta regulas primævæ Antiquitatis reformata & composita, post suscepta sacratissimi corporis & sanguinis Christi symbola, quasi ad complendum ritum Eucharisticum, cani, aut præeunte Sacerdote junctis omnium, qui sacris interfunt, vocibus, recitari solet. Cum vero, ut ex veteribus

Missali-

124 *Hymnus Matutinus Græcorum.*

Missalibus constat, in *Missâ Catechumenorum* olim repeteretur, huc jure optimo transferri meruit.

Apud Græcos singulis diebus mane, ut ex ἀγκυλῖα τῷ ὄρθρῳ patet, & ἐν τοῖς ἀποδείπνοις, sive *precibus post cœnam peractam*, antequam eunt dormitum, fufis, in Monasteriis, ubi indefessæ pietatis adhuc-dum vigent officia & ἀσκήσεις, legitur, diebus verò Dominicis & celebrioribus anni festis psallitur μελωδικῶς.

Communissimè apud illos nuncupatur ἡ μεγάλη δοξολογία, sive *magna doxologia*, ut ab altera, (quam μικρὰν δοξολογίαν, sive *minorem doxologiam*, utpote in breve verborum compendium contractam, *Sanctissimæ Trinitatis glorificationem*, sive *hymnum glorificationis*, exemplo veterum Patrum, appellant) distinguatur, quam post singulas Psalmorum τμήσεις sive sectiones, & sæpe alias, ex præscripto & prout officiorum ratio postulat, subindè repetunt, hâc formulâ, δόξα Πατρὶ καὶ Υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι, * καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.*

De qua pauca hæc, ὡς ἐν παρῳδῳ, *magnæ doxologiæ* explicationis causâ, adnotanda sunt.

Forma ista integra exstat, tum apud S. Athanasium ἐν παρθενίᾳ, nisi quod ultima verba τῶν αἰώνων illic defint : quem monentem habemus, ut eadem à virginibus, sacræ religioni deditis, (epistola autem hæc, in qua severioris disci-

* Quandoque τὸ καὶ ante νῦν omittitur.

† Quandoque, licet rariùs, εἰς τὴν αἰῶνα τῷ αἰῶνι.

plinæ ab iisdem exercendæ regulæ traduntur, ad omnes ex æquo spectare videtur) post cibum ter repetatur: Ὅταν ὃν ἀναστῆς ἀπὸ τῆς τραπέζης, πάλιν εὐχαριστῆσαι, λέγῃς ὅτι τρεῖς: Ελεήμων καὶ οἰκτίρμων ὁ Κύριος τροφὴν ἔδωκε τοῖς φοιβευμένοις αὐτόν. Δόξα Πατρὶ, καὶ Υἱῷ, καὶ ἁγίῳ Πνεύματι, καὶ νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τὰς αἰῶνας. Καὶ μετὰ τῆς δοξολογίας πάλιν τῇ εὐχῇ πληρώσον: tum apud S. Basilium mox citandum. Et huc videtur S. Justinus Martyr, illis longè antiquior, in *expositione fidei de S. Trinitate*, si pro illius genuino foetu sit habenda, alluisse. Formula sane, quod ad priorem versiculum attinet, ab antiquissimorum temporum usu deducta: cum sit nihil aliud, quam contracta glorificatio sanctæ ac individuæ Trinitatis, formulæ verborum, quâ juxta mandatum institutumque Christi baptizamur, prorsus & eodem ipso modo accommodata. Fides enim in Deum trium, quam quisque tempore sacri istius solennisque ritûs proferre solitus erat, principium est ac fundamentum hujus doxologiæ: ut rectè censet S. Basilus *de Spiritu Sancto* ad Amphilochem: cap. xxvii. Τὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως οἷον ἀρχὴν καὶ μὴτέρα τῆς δοξολογίας ἐπισημαίνουμεν.

Hinc constat, Philostorgium contra historiæ temporumque fidem peccasse, qui Flavianum Monachum, nullius quidem sive dignitatis sive authoritatis in Ecclesia Antiochena, quorundam idem institutum sectantium ope, istam formulam,

* Οὐχ ἀπλῶς ἡ περὶ τῆς Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος
δοξολογία τὴν σωτηρίαν ἡμῖν ποιεῖεν;

Histor. Ecclesiast. lib. 3. cap. 18.

quæ

quæ per universas Christi ecclesias hodiè retinetur, & per gratiam Christi usque ad consummationem seculi retinebitur, primo instituisse ac condidisse fingit. Fatendum est, quod Arianorum technis strophisque, quo fidem Catholicam faciliiori opera subversum irent, hujusmodi variæ, quæ sequuntur, formulæ, sive excogitarentur, sive excogitatæ in vulgarem apud suos usum introducerentur, tum hæc, quæ usu erat receptior, Δόξα Πατρὶ δι' Υἱὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι, tum illa, Δόξα Πατρὶ ἐν Υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι, quasi hæc, juxta istius Ariani Scriptoris sententiam, essent longè antiquiores, indeque Christianos, præsertim Antiochiæ, in diversas partes abiisse, pace Ecclesiæ ex unius aut alterius particulæ innovatione à maleferiatis hominibus turbatâ. Leontius verò, ex Eunuchio contra Nicænos canonas factus Patriarcha, cum discordiam hanc in factionem & schisma erumpentem pro officio compescuisse potuisset, quasi pacis inter Clerum populumque utrobique per orbem divisum servandæ gratia, ne alterutri addictior faventiorque videretur, submissa voce, ne a quoquam exaudiretur, priorem doxologiæ partem protulisse maluit: interim perfidiæ vesaniæque Ariano-
rum fautor & particeps, ut testatur Theodorus: ex cujus dissimulatione jam agnita & propalata, Flavianus, strenuus ille fidei Catholicæ assertor, antiquæ doxologiæ vindicandæ occasionem captavit.

• Histor. Eccles. lib. ii. cap. 24.

Nec Antiochiæ solum, sed alibi apud alias ecclesias in Oriente formula hæc quandam passa est mutationem, ut ex ' S. Basilio patet, aliis antiquo more integram retinentibus, aliis, dis- puncta particula conjunctim, aut præpositionem διὰ ante Τῷ, ut antea observavimus, aut τὸ μέγα, quod rarius quidem erat, & fortasse illius seculi inventum, præfigere solitis. Ὅπως ἄλλοιον τοῖνυν αἱ Πατέρες ἡμεῶν, καὶ ἡμεῖς λέγομεν, ὅτι ἡ δόξα καὶ τῷ Πατρὶ καὶ Τῷ : διὰ καὶ μέγα ἢ Τῷ πάλιν δόξαλογίαν προσάγομεν τῷ Πατρὶ. Nec minus erat in ultima doxologiæ clausula discrimen, quam aliqui hoc modo protulère : Δόξα Πατρὶ καὶ Τῷ σὺν τῷ Πνεύματι ἁγίῳ. Clemens Alexandrinus, *Pædagog. lib. 3.* Ἀνεῖτες τῷ μόνῳ Πατρὶ καὶ Τῷ σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. Harum phrasium eundem haberi sensum (uri vim eandem utriusque in præcedentibus præpositio- nis esse) S. Basilius planè vult. Ἐμφατὶ μὲν οὖν, ὅτι ταῦτον ὅτι πρὸς διάνοιαν εἰπεῖν, Δόξα Πατρὶ καὶ Τῷ σὺν τῷ πνεύματι ἁγίῳ, καὶ Δόξα Πατρὶ καὶ Τῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. Cum verò vetustam formulam, cui ab antiquo populus assueverat, cum altera planè novitia ille commutaverit, mirum, quan- tam invidiam & quam acres censuras sibi ipse pepererit apud plurimos, quibus hæc displicuisset innovatio, hinc illum criminandi ansam arri- pientes, quasi de Spiritu S. parum sanè & Ca- tholicè sensisset : ut indè istum librum Apologe- ticum sui purgandi causa scribere fuerit coactus.

Quod verò ad formulam istam, quam frequen- tissimè usurpabant, & qua maximè delectati

' S. Basil. de Spiritu Sancto cap. 7a

sunt Ariani, spectat, *Gloria Deo Patri per Filium ejus in Spiritu Sancto*, licet illam in sacris scripturis conceptis verbis neutiquam reperiri, contra ipsos strenuè admodum asserit S. *Basilii, tamen olim, longè antequam nasceretur Arius, apud quosdam in usu fuisse, videtur testatissimum ex ^hOrigine in libello *de Oratione*, & ab illa quoque postea S. ⁱLeonem Magnum, illæsa fide Christiana, sensu orthodoxo, & ab Arianorum mente alienissimo, ^jjuxta Catholicæ ecclesiæ interpretationem, non abhorruisse nemo diffitebitur. Utcunque tamen, quod pace SS. Patrum, Basilii & Leonis, dixerim, antiquis formulis mordicus adhærescere, & neutiquam ab iis recedere planè oportuit: quo pacto paci ecclesiæ, Christianorum conscientis, dogmatumque fidei in sua puritate professioni longè melius fuisset consultum.

Verisimile quibusdam, quorum sententiæ lubens subscribo, videtur, versiculum alterum, *κὴ νῦν κὴ αἰεὶ* — ut impio Arianorum dogmati & communi effato, *ἦν, ὅτε ἐκ ἦν*, quo Christum non fuisse ab æterno genitum, & cum Patre *συνδ-*

* De Spiritu S. cap. xxv. "Ὅλως ὃ ἡδέως ἀν μᾶθοιμι θεῶς τὴν νείας σοφίας, ποίαν εὐλογίαν ὁ Ἀπόστολος διὰ τῆς ἐκ, ῥήματι ἀπεπλήρωσε καὶ τὸ τύπον, ὃν ἔτοι νῦν, ὡς ἐκλήης γεραφῆς, ἀναφύουσι; ἡ δὲ αὐτῆς γὰρ εὐχὴν λεγόμενον, τὸ σοὶ τῷ Πατρὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα διὰ τῆς μονογενῆς σοῦ Υἱοῦ ἐκ τῷ ἀγίῳ Πνεύματι. ὅπερ τῶ τοις ὅτι νῦν καὶ αὐτίς, ὡς εἰπείν, τὴ ἀναπνοῆς, συνθετέρον.

^h Περὶ εὐχῆς. Edit. Oxon. 1686. pag. 134. Καὶ δὲ δύναμιν δοξολογίας ἐκ τῆς ἀρχῆς, καὶ τῷ προοιμίῳ τῆς ἀρχῆς λεκτέον, τὸ θεῶ διὰ Χριστοῦ συνδοξολογούμενα ἐν τῷ ἀγίῳ Πνεύματι συνυμνεύμενα. Et pag. 135. Καὶ ἐπὶ πάνσι, τὴ εὐχὴν εἰς δοξολογίαν Θεοῦ διὰ Χριστοῦ ἐκ ἀγίῳ Πνεύματι ἀσπαστέον. Eadem quoque habetur in Constitut. Apostolicis, lib. vii. cap. 48.

ⁱ Serm. 1. de Nativitate.

ἐξαζόμενον,

ζομένον, præfractè statuebant, tanquam præsentissimum pesti aliàs grassaturæ alexipharmacum, opponeretur, additum fuisse, & tunc apud Catholicos, præsertim in publicis sacris, cœtibus, usurpari incepisse: non quidem in fine Psalmorum, juxta consuetudinem, quam Ecclesiæ disciplina postea induxerit, cujus originem jam non quæro: (neque enim id moris alicubi per Orientem inolevisse suo tempore testatur * Joannes Cassianus) sed in aliis Liturgiæ partibus ante & post statas preces antiphonasque, pro diversa sacri officii ratione, cani solitum.

Certum autem est, veteres Christianos, sibi in exemplum Scriptores θεοπνεύτους coram oculis proponentes, sive in privatis, sive in publicis officiis eucharisticis, formulam, qualiscunque illa fuerit, *glorificationis divina* hisce aut similibus verbis εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων terminare consuevisse, tunc † ex S. Irenæo, qui Valentinianos fuorum Æonum fidem inde, pariter ac è scriptis Paulinis, statuminasse pessima fide velle & conari refert, tum ex ‡ Tertulliano: & id qui-

* De Cœnobiorum institutis, lib. ii. cap. 8.

† Adversus Hæreses lib. i. cap. i. Ἀλλὰ καὶ ἡμᾶς ἐπὶ τῇ εὐχαριστίας λέγοντας, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἐκείνους τοὺς αἰῶνας σημαίνειν. Edit. Paris. pag. 16.

‡ De Spectaculis cap. xxv. editionis Rigaltianæ, pag. 101. Ille inter alia argumenta ad arcendum Christianos a conspectu ludorum Ethnicorum, qui tum frequentissimo erant in usu, ostendit id maximè indecorum esse:

Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosa cupiditatem. Quale est enim de ecclesia Dei in ecclesiam diaboli tendere? de cælo, quod aiunt, in cœnum? illas manus, quas ad Deum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? ex ore, quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere? εἰς αἰῶνας ἀπ' αἰῶν? alibi omnino dicere, nisi Deo & Christo? Præclare observat doctissimus Rigaltius, hic notare Tertullianum, quod acclamatum fuisse Commodò narrat Dio, Νίκας νικῆσεις ἀπ' αἰῶν, lib. lxxii.

130 *Hymnus Matutinus Græcorum.*

dem universa penè scripta virorum Apostolico-
rum & primævæ antiquitatis, quotquot existant,
testatissimum faciunt: è quibus unicum hoc ex-
emplum dabo de S. ⁿ Polycarpo, qui preces in
ipso ultimo gloriosi agonis actu fufas hac celebri
doxologia obfignavit: Διὰ τὸτο καὶ πρὸς πάντων αἰ-
νῶν σ, δόλοζῶ σε, δεξάζω σε σὺν τῷ αἰωνίῳ καὶ ἐπουρα-
νίῳ Ἀρχιερεῖ Ἰησοῦ Χριστῷ, ἀγαπήτῳ σὺ παιδί. μετ'
ἔ σοι καὶ Γενόματ' ἀγίῳ ἡ δόξα καὶ γῶν καὶ εἰς τὰς μέλλον-
τας αἰῶνας. De *minori doxologia* hactenus; ad
alteram *doxologiam*, quod est præcipuum hu-
jusce dissertationis institutum, pergo.

Alio nomine appellatur ° *Hymnus Angelicus*,
ob antelogium, quo recentissimos Christi natales
celebrarunt Angeli, αἰνεῖντες τὸ Θεόν, S. Lucæ
cap. ii. Antiquitus verò, ob quotidianum Chri-
stianorum usum, ° Περσευχὴ ἑωθινή, *Oratio Ma-
tutina*, & rectius, Ὕμνος ἑωθινός, sive *Hymnus Ma-
tutinus*. Iste enim titulus præfigitur post odas
è Scripturis desumptas, quæ Psalmos sequun-
tur, in codice Alexandrino, antiquitatis vene-
randæ, quam characteres præ se ferunt, gem-
mis ἀντίσταλάνοις longè pretiosiori, quem ad fere-
nissimum Regem Carolum primum dono misit
reverendissimus D. Cyrillus Lucaris, qui ex Æ-
gypto, ad Thronum Constantinopolitanum ad-
scitus, illum extulerat. Hunc jussu serenissimi

° Acta martyrii illius apud Euseb. H. E. lib. iv. cap. 15. & apud
Usserium pag. 25. in appendice Ignatiana Londini 1647.

° Ita inscribitur in veteri Liturgia, primum à Matthia Flaccio Illy-
rico, & postea à Cardinale Bona edita, *Carmen Angelorum*: & etiam
Hymnus Angelicus, in libro Hymnorum vetusto MS. Bibliothecæ
Bodleianæ, de quo statim, pag. 72. *Hymnus Angelicus Græcâ linguâ
compositus*: & in Psalterio in Archivis Collegii Corporis Christi
Cantabrigiæ.

° Apostol. Constitut. lib. viii. cap. 47.

Regis Caroli secundi, augustæ memoriæ, utendum habui, ut, diligentissima cum Vaticano exemplari collatione factâ, integer excuderetur. Quibus verò de causis in opere elaborando non processum fuerit, effari non licet, multa minus queri licebit. Hymnus autem iste in ⁹ Psalterio R. Athelstani, quo sæpe, etiam in museo meo, permissu & benevolentia nobilissimi Viri, & integerrimi Amici, D. Joannis Cottoni, ante multos annos usus sum, appellatur *Hymnus in die Dominico ad MS. i. e. ad Matutinas*: ut a citandis multo recentioris ævi codicibus abstineam.

Hinc sane videtur rectissimè concludi, hunc hymnum Davidicis annexum, in publicis Christianorum cœtibus, quando *stato die* (h. e. Dominico) *ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem soliti essent*, quod de illis testatur ¹ Plinius, ab ultima antiquitate olim fuisse recitatum; inque eorum numero, quos ex libro Caii Presbyteri adversus Artemonis hæresim memorat ² Eusebius ἀπ' ἀρ-

¹ In Bibliotheca Cottoniana, sub Galba A. XVIII. de quo codice fuscè egi in Librorum MSS. in ista Bibliotheca repositorum Catalogo, & in illius Historia, pag. xlv. b.

² Vide Tertullianum in Apol. cap. 2. *Ad canendum Christi & Deo*. Locus iste ex Plinio corrigendus est, & legi debet, ut Deo, uti legebat Eusebius in Chronico.

³ Epist. XCVII. Lib. 10.

⁴ Hist. Eccles. lib. i. cap. 17. & lib. v. cap. 28. ψαλμοὶ ὃ ὅσοι καὶ ὡς αἱ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ἀπὸ πεισῶν γραφεῖσιν, τὸ λόγον τοῦ Θεοῦ τὸ Χριστὸν ὑμῶν θεολογῶντες. Inter alia αἰτιόματα Adsefiores Synodi Antiochiæ congregatæ in Epistola Encyclicâ, ad Dionysium Romanum & Maximum Alexandrinum Episcopum, omnesque Provincias transmissa, merito objecerunt Paulo Samosatensi, quod Psalmos in honorem Domini nostri Jesu Christi cani solitos, quasi novellos & a recentioribus hominibus compositos aboleverit: Apud Eusebium H. E. lib. vii. cap. 30. ψαλμοὶ ὃ τὸς μὲν εἰς τὸ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν παύσαι, ὡς ὃ νεώτερος καὶ νεώτερον ἀδελφῶν συγγραμματα.

132 *Hymnus Matutinus Græcorum.*

ἄνθρωποι sive à primis Christianismi initiis à fidelibus, qui summis laudibus Christi Divinitatem concelebraverint, ex versione autem Rufini: *Sed & Psalmis vel cantica ab initio scripta sunt, quæ a fratribus fidelibus verbum Dei esse Christum & Deum, tota hymnorum suorum laude concelebrant, conscriptos, referendum " plusquam verisimile videri: Et denique, cum cæteri ψαλμοὶ ἰδιωτικοί, h. e. * à privatis hominibus, pro more istius ævi, quorum pietatis & zeli quam prudentiæ in ejusmodi sacris compositionibus potior ratio haberetur, contexti, vigore ' penultimi canonis Synodi Laodicensæ, quæ illos publicè in Ecclesia cani vetuerat, in desuetudinem abiissent, tanquam ab aliquo Θεοπνεύτω dictatum, apud Christianos ubivis per universam Asiam, Syriam, & Ægyptum obtinuisse. Hoc innuere videtur S. Athanasius, qui Virgines, ad quas scribit, monet, ut, quamprimum dilucesceret aurora, quo sacris pietatis officiis majori cum fructu seorsim vacare possint, hunc decantatissimum hymnum repetant, positis, quæ ab initio oc-*

* Vide hac de reverendissimi J. Usserii Armachani diatribam de Symbolo Apostolico, pag. 34. edit. Oxon. 1660.

* Ita hunc canonem interpretandum censeo, potius quam de Psalmis Hereticorum, quos longè acriori censura perstrinxissent Patres Laodicensi, illosque omnino legi, etiam in ædibus privatis pariter ac in Ecclesiâ, ne virus quoddam, sanæ doctrinæ adversum, mentibus Catholicorum familiari eorundem usu obreperet, pro studio & zelo orthodoxæ veritatis veruissent.

' Ὅτι ἔστι ἰδιωτικὸς ψαλμὸς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Can. LIX.

* Περὶ παρθενίας versus finem. Πρὸς τὸ ὄρθρην ὃ τὸ ψαλμὸν τῆτον λέγει, ὁ Θεὸς Θεός μου, πρὸς σε ὀρθεῖω, ἐδίλωσέ σε ἡ ψυχὴ μου. Διαφάσμα ὅ, ἐυλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα τὰ κυεῖς τὸ κύριον. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, ὑμνήσω σε, ἐυλογῶ σε, προσκυνῶ σε, καὶ τὰ ἕξῃς.

Hymnus Matutinus Græcorum. 133

currunt, verbis, cum, quod reliquum erat, à cujusvis memoriâ facillimè potuisset suppeditari. An verò hujus hymni decantandi institutum & origo S. Marco Evangelistæ referri debeant, non id quidem contenderem: licet id vetustus Auctor in collectione sua *de origine & varietatibus officiorum Ecclesiasticorum, præsertim in Britannia & Gallia*, expressissime & absque aliquâ dubitatione asserat: cujus verba ex ^a codice ante non-gentos annos, ut mihi illum ipsum sæpe exploranti planè videtur, scripto, hic apponam.

Sed beatus Marcus Evangelista, sicut refert Josephus & Eusebius in quarto libro, totam Ægyptum vel Italiam taliter prædicaverunt, sicut unam ecclesiam, ut Omnis sanctus, vel Gloria in excelsis Deo, vel oratione Dominica & Amen universi tam viri quam femina decantarent. Tanta fuit ista prædicatio unita, & postea Evangelium ex ore Petri Apostoli edidit.

Videat quoque Lector Antiquitatis ecclesiasticæ studiosus, annon ad hanc doxologiam respexerit ^b S. Polycarpus, qui jamjam martyrio consummandus, orationem suam iisdem penè verbis, *Αἰνῶ σε, εὐλογῶ σε, δοξάζω σε* — incepterat: Et annon ad hunc quoque, inter alios ejusmodi hymnos, oculum intenderit ^c Origenes — *Ὑμνὸς εἰς μόνον τὸ θεῖον*

^a In Bibliotheca Cottoniana sub Nerone A. 11. V. Catalogum Librorum MSS. istius celeberrimæ Bibliothecæ. Tractatulum istum olim edidit V. Cl. D. Henricus Spelmanus in primo volumine Conciliorum orbis Britannici pag. 176. Londini 1639. &c. quem ipse, si Deus dederit, additis quibusdam emendationibus illustrationibusque, accuratius publicabo.

^b Acta Martyrii apud Usserium Armachanum, pag. 25. Londini 1647.

^c Contra Celsum lib. viii. pag. 422. edit. Cantabrig. 1658.

134 *Hymnus Matutinus Græcorum.*

παῖσι λέγεμεν θεόν, καὶ τὸ μονοθεῖ ἅπτε θεόν λόγον :
& pro sagacitate sua, quantum aut quantillum
fidei hisce conjecturis sit tribuendum, ipse sta-
tuat.

Dum vero vulgatissimum hujus hymni usum,
dum antiquitatem à primis seculis repetitam,
dum apertissimos & simplicissimos Theologiæ
veterum Christianorum sensus ferio contemplor
& ob oculos pono, planè adducor, ut credam,
eundem prorsus esse cum ὡδῇ πλουωνύμω, cujus
meminit Lucianus in Philopatride, in qua im-
piissimus iste scurra peculiaria Christianæ reli-
gionis dogmata, sacrumque, qui tum in usu
erat, cultum ex industria traducit hisce Tri-
phontis ad Critiam verbis, ὥς τε ἴασον τότ' οὖν, καὶ
εὐχὴν ἀπὸ Πατρὸς ἀρχάμεθα, καὶ πλουωνύμων ὡδὴν εἰς
τέλ' ὁρθεῖς. Quæ sic intelligo, istius ævi
Christianos preces ab oratione Dominica auspi-
catos, hoc hymno, qui varias Dei & Christi ap-
pellationes continet, addito quasi colophone,
iisdem desungi consuevisse. Mihi enim videtur
εὐχὴν & ὡδὴν distinguere debere. Cæterum, si
quispiam unicam eandemque orationem ex sup-
plicationibus & laudibus simul compositam esse
velit, non multum refragabor, modò concedat,
quod mihi ex materia indè petita persuasissi-
mum est, ad hanc insignissimam oden, potius
quam ad Orationem Dominicam, licet in cultu
sacro nunquam omissam, allusum fuisse.

Exstat Doxologia hæc Græcè edita, in fine
Liturgiæ S. Chrysostomi, ab Ambrosio Pelargo
Niddano, ordinis Prædicatorum, Wormatiæ 4°.
an. 1541. Hanc Simeon Syracusanus (uti ille
loquitur)

loquitur) Popponem, Trevirorum Archiepiscopum, è Terra Sancta, quam religionis causâ inviserat, redeuntem, comitatus, Treverim attulisse fertur. Codicem autem hunc miræ vetustatis esse deprædicat, ac ante mille annos descriptum fuisse, & ante octingentos plus minus annos Treverim allatum. Pauculas variationes in margine apposui sub nota Tr. Librum autem istum, rarissimum quidem & vix alibi reperendum, ex ipsius Bibliotheca, quantivis pretii cimeliis refertissimâ, utendum dedit vir consummatissimæ eruditionis, & omni laude major, D. Thomas Marehallus, S. Theologiæ Professor, Collegii Lincolnienfis Oxon. Rector, & Decanus Ecclesiæ Cathedralis Glocestriensis, qui, ut dolorem, quem ex desiderio tam chari capitis sentio, licet ægerrimè quidem, taceam, ingenti sacrarum literarum damno nuper ex hac vita decessit. Facile quoque videbis formam istam, quæ in Libro Constitutionum Apostolicarum paulò amplior occurrit, cum Codice Treverensi magis convenire, quàm cum nostro Alexandrino. Sed discrimen utriusque adeò leve & nullius momenti est, ut in cæteris mirifica consensus perplaceat. Reperi quoque hunc divinissimum Hymnum ad finem duorum Psalteriorum Græcorum MSS. in Bibliotheca Bodleiana, quorum alterum, num. 15. in 8^o inter Codices Baroccianos, scriptum erat ante quingentos & septuaginta plus minus annos, ut ex circulis Paschalibus, post præfationem S. Basilii, Theodreti, & Cosmæ Indico-pleustæ, illic descriptis abunde liquet. Horum enim primus

136 *Hymnus Matutinus Græcorum.*

incipit ab anno Creationis 6613. five Christi 1105. ultimus verò desinit anno ejusdem Epochæ 6648. five Christi 1140. Circa hujus intervalli initia codicem descriptum fuisse hæ tabulæ, ad computum Ecclesiasticum spectantes, quæ futuris annis, uti solent Ephemerides & Calendaria, prospicere meritò censendæ sint, liquido testantur. ^d Alterum verò in 4^o exaratum ante sex secula, (nisi antiquioris exemplaris planè sit Apographum) ut edoctus sum è circulis Paschalibus, non longè ab initio præmissis, quorum primus incipit A. M. 6459. ultimus, ni fallor, desinit in annum 6512. eo usque enim conjectari licet paschales illos circulos continuari in quatuor foliis exsectis, in quorum extremitatibus manent vestigia circulorum.

Interim non negaverim, verba subinde interspersa, puta *μῦσαν, γέννα*, & istiusmodi, (ut nihil de characteribus Ruthenicis huc illuc occurrentibus dicam, cum à recentiori manu potuissent adjici) tantam antiquitatem haud sapere. Pariter quoque occurrit una cum cæteris odis ad finem Psalterii Græcè scripti in Bibliotheca Collegii sanctæ & individuae Trinitatis Oxon. quod olim fuerat insigniffimi Viri, D. Thomæ Pope, Equitis Aurati, Fundatoris. Identidem S. Notkeri Antiphonarium five librum Hymnorum MSS. in ^e Archivis Seldenianis pulcherrimè, additis notulis musicis, descrip-

^d NE. 2. 17. in quarto.

^e Num. 27. quarto; formæ minoris.

tum,

tum, monitu eruditissimi mei Amici, D. Edwardi Bernardi, S.T.D. & Saviliani Professoris Astronomiæ, consului, in quo, præter versionem Latino sermone expressam, (quam Ecclesia Anglicana juxta Rituale, in Ecclesiis Occidentalibus ferè ubivis locorum usu receptum, ad amussim sequitur) nisi quòd ab antiquissimo Græco exemplari paulò variatum sit, Græcè quoque, characteribus licèt Latinis, exstat. Variantes Lectiones literâ N. notatas habebis.

Reperi bis Græcè, sed Latinis literis, iisdem prorsus verbis in ^f alio non mediocris vetustatis hymnorum libro, tempore, ut mihi videtur, quo Saxones rerum in Anglia potirentur, descripto, cui varii musicorum modulorum accentus ad dirigendos cantores apponuntur.

Denique, exstat in Psalterio in Archivis Collegii Corporis Christi Cantabrigiæ reposito, quod A. Ch. 1692. ipse consului & postea, propter variantes lectiones inde colligendas, à viro doctissimo, Thoma Bakero, S. T. B. & Collegii S. Joannis Evangelistæ dignissimo Socio, denuò consulendum impetravi. Hoc autem exemplar exaratum erat circa A. 884.

^f Membran. quarto oblongo, num. 63. super Art. A. in Bibliotheca Bodleiana, pag. 28. 72.

Ὕμνος Ἑωθινός.

Juxta exemplar Alexandrinum, uti illic inscribitur, συγρῶς descriptus, cum aliis codicibus, quos consului, collatus.

Δόξα ὃν ὑψίστοις Θεῷ,
 Καὶ ὅπῃ γῆς εἰρήνη,
 Ἐν ἀνθρώποις * εὐδοκία.
 Ὕμνός σε,
 Εὐλογῆμά σε,
 Ὑπερῶνός σε,
 Δοξολογῆμά σε,
 Ἐυχαιῶνός σοι,
 Διὰ τὸ μέγαλόν σου δοξάν.
 Κύριε Βασιλεῦ
 Ἐπερανίε,

* Ita pro more in isthoc codice vetustissimo scribitur pro εὐδοκία, uti quoque in Constitut. Apost. lib. 7. cap. 47. & apud S. Athanasium περὶ παρθενίας. Psalter. Oxon. & Psalter. Coll. Trin. Oxon. & alter iste tropariorum codex, Treverensis codex, & S. Notkeri Antiphonarium habent εὐδοκίας.

Ὑπερῶνός σε substituitur apud S. Athanas. in Psalt. Oxon. 8^o Cod. Trin. & in Horologio ὑμνῶνός σε. In Cod. Trin. inter αἰνῶνός σε & εὐλογῆμά σε interponitur τὸ ὑμνῶνός σε, uti etiam in Constit. Apost. & Psalter. Oxon. 4^o.

Ἐυχαιῶνός σοι postponitur τῷ δοξολογῆμά σε in Constit. Apost. post, immediate verbis planè interpolatis, sequitur, διὰ τὸ μέγαλόν σου Ἀρχιερατός, σε τὸ ὄντα θεόν, ἀγέννητον ἕνα, ἀπερίσβητον μόνον, deinde διὰ τὸ μέγαλόν σου—

Ἐυχαιῶνός σε, Psalt. Oxon. 8^o deest omnino in Tr. & Constit. Apost. at habet vetus exemplar Wormatiense, uti annotavit Pelargus.

Θεὸς * πατὴρ παντοκράτωρ,
 Κύριε υἱὸς † μονογενὴς,
 Ἰησοῦ Χριστέ,
 ‡ Καὶ ἅγιον πνεῦμα·
 Κύριε ὁ Θεός,
 § Ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ,
 Ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς,
 Ὁ ἰ ἀφρων κ τὰς ἀμαρτίας τοῦ κόσμου,
 ἰ Ἐλέησον ἡμᾶς,
 Ὁ ἀφρων τὰς ἀμαρτίας τοῦ κόσμου,
 Περὶ δεξιᾶ πλὴν δέξιν ἡμῶν.
 Ὁ καθήμενος ἡ ἐν δεξιᾷ ‡ Πατρός,

* Πάτερ παντοκράτωρ, sic Cod. C.C.C.C. Tr. Const. Apost. Psalter. Oxon. Cod. Trin. N. & Horolog. post παντοκράτωρ in Const. Apost. cetera, quæ sequi debuerant, ita confunduntur, Κύριε ὁ Θεός, ὁ πατὴρ τοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀμώμου ἀμνῶ, ὃς αἰρεῖ τὴν ἀμαρτίαν τοῦ κόσμου, περὶ δεξιᾶ πλὴν δέξιν ἡμῶν, ὁ καθήμενος ἐπὶ τῇ Χερυβίμῃ ὅτι σὺ μόνος ἅγιος, σὺ μόνος κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς τοῦ Θεοῦ πάσης γενέσεως, τοῦ Βασιλέως ἡμῶν, δι' ὃ δόξα, τιμὴ, καὶ σέβας.

† Ita quoque Psalter. Oxon. 4^o at Tr. Psalter. Oxon. 8^o unâ cum libris impressis rectius μονογενὴς. N. habet imperfectè μονογενῆ. Alter hymnorum liber Monogeni.

‡ Desunt hæc verba de Spiritu S. in N. utpote quæ in fine reponuntur. Ceteri codices, etiam liber alter hymnorum, hæc habent, uti in proprio & debito loco.

§ Deficit articulus ὁ, Tr.

ἰ αἰετ Tr. mendosè : & fortasse non Librarii, sed Typothetæ mendum.

κ πλὴν ἀμαρτίαν, numero singulari Const. Apost. Psalteria Oxon. C. C. C. Cod. Trin. uti etiam N. & alterum Antiph. & quantum est codicum impressorum, juxta Evangel. S. Joannis cap. I. v. 29. Schol. in Marg. in 4^o ex Theodoro, τοῦ Ἀδάμ λέγει, ἢ τῷ θανάτῳ τῶν αἰώνων concordant verò omnes in sequente versiculo, habentque Pluraliter—τὰς ἀμαρτίας—ubi hoc Scholium eidem Codici apponitur è Theodoro, τὰς τοῦ πληθὸς λέγει.

† Preponitur τὸ καὶ in ἀκολουθία τοῦ ὁρῶν in Horologio p. 148. sed prorsus malè.

ἡμῶν. Tr. malè

η Psalter. Oxon. 8^o ἐκ δεξιῶν.

: Ἐλέησον

140 Hymnus Matutinus Græcorum.

° Ἐλέησον ἡμᾶς,
 P^o Ὅτι σὺ εἶ μόνος ἅγιος,
 ° Σὺ εἶ μόνος κύριος,
 Ἰησοῦς Χριστός,
 Εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρὸς. Ἀμήν.

° Græci in ἀκολουθίᾳ τῆς ὁρθρᾶς, & alibi, nescio quâ authoritate
 freti, semper hic præfigunt χ, quod planè redundare videtur.

° Deest εἰ in Const. Apost. uti supra videre est, in N. & in altero
 Antiph. Occurrit quæpiam simile in Constit. Apost. lib. 8. cap. 13. εἰς
 ἁγίου, εἰς Ἰησοῦς Χριστός εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρὸς. V. Liturgiam
 S. Jacobi.

° Post σὺ εἶ κύριος μόνος sequitur in N. & in altero Antiphonario
 σὺ μόνος ὁ ὢν Ἰησοῦς Χριστός σὺν ἁγίῳ πνεύματι εἰς — habet
 quoque Psalt. Oxon. 4^o σὺν ἁγίῳ πνεύματι εἰς.

Hymnus

**Hymnus Matutinus^a ex *Antiphonario*
S. Notkeri.**

*Gloria in excelsis Deo,
Et in terra pax,
Hominibus bonæ Voluntatis.
Laudamus Te,
Benedicimus Te,
Adoramus Te,
^c Glorificamus Te,
Gratias agimus Tibi,
Propter magnam gloriam Tuam,
Domine Deus, Rex cœlestis,
Deus Pater omnipotens.
Domine, fili Unigenite,
Jesu^c Christe,
Domine Deus,
Agnus Dei,
Filius Patris,
Qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.
Qui tollis peccata mundi,
Suscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad dextram Patris,
Miserere nobis,*

^a Ita quoque in Psalterio Lat. NE. A. 3. 7. 4^o minori : & etiam ad verbum exprimitur in prolegomenis ipsius authentici Psalterii, quod Carolus Magnus, cum adhuc esset tantum Rex Francorum, dono dedit Hadriano Papæ I. apud Lambec. comment. de Biblioth. Cas. lib. ii. cap. 5. pag. 277.

^b Hymnum dicimus tibi. Fl. II. y.

^c Altissime. Ib.

Quoniam

142 Hymnus Matutinus Græcorum.

Quoniam Tu solus Sanctus,
 Tu solus Dominus,
^a Tu solus altissimus,
 Jesu Christe,
^c Cum Sancto Spiritu,
^e In gloria Dei Patris. Amen.

Sequuntur in eodem veneranda Antiquitatis Codice ^b & in eadem serie bi Versiculi, è Psalmis maximâ ex parte collecti, tanquam Hymni pars, iisdem uncialibus characteribus & planè συνηγῶς descripti; neque dubitandum videtur, quin simul ac eodem tempore olim recitarentur; quod hodiè faciunt Græci, uti ex Horologiis manifestissimum est: malè ergo Hymni Vespertini, à quodam Viro eruditissimo, titulo insignitus est. Variantes lectiones hic quoque annexas habes.

^b Καθ' ἐκείνῳ ἡμέραν εὐλογήσω σε,
 Καὶ ἀμώσω τὸ ὄνομα σου εἰς τὸ αἰῶνα,

^a Sic etiam in Psalterio Athelstani.

^c Hoc additamentum Latinis exprobrant Græci inter cætera αὐτιά-ματ' in monumentis Græcæ Ecclesiæ Vol. 3, pag. 495. & longè antea Michael Cerularius in Epistolâ ad Petrum Antiochenum apud Allat. de Ecc. Occ. & Orient. consens. l. 3. c. 12. p. 1108. Vide ejusdem Petri responsum, qui additamentum hoc ferri posse concedit. pag. 1115.

^e In gloriam. Athelst.

^b Ita quoque in eadem continuâ serie in Psalterio in archivis Bibliothecæ Coll. Corporis Christi Cantabr.

^b Quando recitatur ἐν Σανδείπνοις, reponunt, καθ' ἐκείνῳ ἐσπέρην.

Kai

Καὶ εἰς τὸ αἰῶνα τῷ αἰῶνι.
 Καταξίωσον κύριε καὶ τὴν ἡμέραν τὴν ταύτην
 Ἀναμαρτήτως φυλαχθῆναι ἡμᾶς.
 Εὐλογητὸς εἰ κύριε ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν,
 Καὶ ἀνείδον καὶ δεδοξασμένον τὸ
 Ὄνομα σου εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.
 Εὐλογητὸς εἰ κύριε, διδάξόν με
 τὰ δικαιώματά σου.
 Εὐλογητὸς εἰ κύριε, διδάξόν με
 τὰ δικαιώματά σου.
 Εὐλογητὸς εἰ κύριε, διδάξόν με
 τὰ δικαιώματά σου.
 Κύριε καταφυγὴ ἐλπίδος ἡμῶν
 Ἐν γλυκείᾳ καὶ γλυκείᾳ.
 Ἐγὼ εἶπα, κύριε ἐλέησον με,
 Ἰάσαι τὴν ψυχὴν μου, ὅτι ἡμαρτήθην σοι.
 Κύριε πρὸς σὲ ἠγάπησα,
 Δίδαξόν με τὸ πνεῦμα τὸ δέλημαί
 Σὺ, ὅτι Σὺ εἶ ὁ Θεός μου.

ⁱ Post hunc Versiculum sequitur in Psalter. Oxon. 8^o κύριε καταφυγὴ, ad finem; inde repetunt, καταξίωσον— Immediate post finem sequuntur hi versiculi.

Κύριε τὸ ἔλεός σου εἰς τὸ αἰῶνα,
 Κύριε τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου μὴ παύσῃς.

Σοὶ πρέπει αἶνον, σοὶ πρέπει ὕμνον.

Σοὶ δόξα πρέπει τῷ πατρί, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

^k Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, C. C. C. Psalt. Oxon. in 8^o ὅς Codices impressi.

^l Post in ἀκολουθίᾳ τῶν ὁρθῶν ὅς in ἀποδείκνυται μεγάλῃ καὶ μικρῇ inferitur hic Versiculus, Γένος σου κύριε τὸ ἔλεός σου ἐφ' ἡμᾶς, καθάπερ ἡλπίσαμεν ὅτι Σὺ. Uti etiam in Psalt. Oxon. 8^o. Occurrit quoque in altera repetitione huius partis in 4^o. post hymnum vespertinum, ubi tamen omnes versiculi non recitantur, sed alii etiam adduntur.

^m Desunt in Codice C. C. C.

ⁿ Psalterium utrumque Oxon. habet κατέφυγον, uti etiam C. C. C. Codex C. Trin.

Ὅτι

144 Hymnus Matutinus Græcorum.

Ὁ πῶτα ὁ σοὶ πηγὴ ζωῆς.
 Ἐν τῷ φωτὶ σου ὁψόμεθα φῶς.
 Παράπνον τὸ ἔλαός σου
 Τοῖς γινώσκουσιν σε.

*Per singulos dies benedicam Te.
 Et laudabo nomen tuum in seculum,
 Et in seculum seculi.
 Dignare Domine die isto
 Sine peccato nos custodire.
 Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum,
 Et laudandum ac glorificandum est
 Nomen tuum in secula. Amen.
 Benedictus es, Domine,
 Doce me justificationes tuas.
 Benedictus es, Domine,
 Doce me justificationes tuas.
 Benedictus es, Domine,
 Doce me justificationes tuas.
 Domine, refugium Tu factus es nobis,
 In generatione & generatione.
 Ego dixi, Domine, miserere mei,
 Sana animam meam, quia peccavi in Te.
 Domine, ad Te confugi:
 Doce me facere voluntatem tuam;
 Quia Deus meus es Tu.*

° Σῆ, Cod. Trin.

° Ὁψόμεθα. Psalt. 4°.

° Παράπνον.

° Ita ex usu istius Codicis pro ἔλαος. In Psalterio Oxon. 4° & C. C. C. in fine additur ἄγιος ὁ Θεός, ἄγιος ἰσχυρός, ἄγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. Cetera additamenta, quæ etiam in reliquis codicibus occurrunt, adnotare parum refert.

Quoniam

*Quoniam apud Te est fons vita :
In lumine tuo videbimus lumen.
Præstende misericordiam tuam
Scientibus Te.*

Hymnus Vespertinus Græcorum.

FOrte non abs re erit, nec id pio Lectori displiciturum credo, *Hymnum Vespertinum*, cum sit cognati argumenti, & ejusdem ferè cum *Matutino* antiquitatis, in ejus conspectum hic quoque dare.

A Græcis, quod ex officio *λυχνικῆς* five *Lucernarii* manifestum est, sub occasum solis hodie recitatur, qui à primis seculis longo usu eum derivasse videntur. Nemini autem in dubium vocari poterit, quin prorsus idem sit cum *ἑπι-λυχνίῳ εὐχαριστία*, de qua S. Basilii de Spiritu Sancto ad Amphilochoium hoc modo differit :
"Ἐδοξε τοῖς πατέρασιν ἡμῶν, μὴ σιωπῇ τὴ χάριν τοῦ ἱσπερὶνῶ φωτὸς δεχέσθαι, ἀλλ' εὐδὺς φανέντῳ εὐχαριστεῖν. καὶ ὅςτις μὲν ὁ πατήρ τῶν ῥημάτων ὁ κείνων τὸ ἑπι-λυχνίῳ εὐχαριστίας, εἰπεῖν ἔκχευεν. ὁ μὲντοι λαὸς ἀρχαίαν ἀφίησι τὸ φωνεῖν, καὶ ἔθεντο πᾶσι τοῖς ἀσεβέσιν ὁνομάδουσαν, οἱ λέγοντες, Αἰνῶμεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεῶν. *Visum est Patribus nostris vespertini luminis gratiam baud quaquam silentio arripere, sed mox, ut apparuit, agere gratias. Quis*

146 *Hymnus Vespertinus Græcorum.*

autem fuerit Author illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non possumus. Populus tamen antiquam profert vocem: neque cuiquam visi sunt impietatem committere, qui dicunt, Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum Dei. De Authore sibi non constare ait expressissimè: ideò illos ratio maximè fugit, qui illum in sequentibus Athenogeni adscribere volunt: inter quos Horologii Collector, qui hunc titulum præfert; Ὑμνος τῷ ἁγίῳ Μάρτυρι Ἀθηνογένους: ἐκ, ὡς φασί τινες ἀμειβῶς, Σωφρονίῳ Πατριάρχῳ Ἱεροσολύμων, μάρτυς τέτυ οὗ μέγας Βασίλειος, recensendus est. De alio enim hymno loquitur, quem Sanctus ille martyrio per ignem^b jamjam consummandus cecinit, & apud amicos reliquerat, in quò eadem de Spiritu sancto effata occurrèbant. Si vero de hoc ipso hymno intelligendus sit, id ex aliorum sententiâ, cui maximè diffidere videtur, & quam argumentandi causa allegaverat, illum fecisse certò constat. Athenogenes autem erat S. Clementi Alexandrino σύγχρονος, cujus ætatem longe exsuperare videtur hic hymnus, quem ob antiquitatem plusquam semel laudat S. Basilius. Et videtur, (nam hic solis conjecturis agendum est) sive ex communi decreto institutus, sive invalescente consuetudine receptus, & apud populum maximè familiaris redditus, qui pro more solenni hanc gratiarum

^b Nimirum sub Severo Imperatore, circa A. 169. Vide Martyrolog. Roman. ad xviiij. diem Januarii.

^c Antea dixerat se coactum proferre hunc hymnum in testimonium διὰ τὴν ἡλικίαν ἀρχαιοσύνην propter temporis antiquitatem.

actionis

actionis formulam appetente nocte usurpabat. Malè igitur aliqui ex Græcia, quo auctoramento freti nescio, hunc hymnum Sophronio Patriarchæ Hierosolymitano adscribunt. Hanc verò ὁπλὺχνον εὐχαεσίαν perperam confundit ^d Vir maximus, D. Usserius, cum ὁπλὺχνος ψαλμὸς qui est Psalmus CXL. juxta numeros Græcos, uti Psalmus LXXII. dictus est ὁρθρινός: quod ex Athanasio in Epistola ad Marcellinum, & de Virginitate, & ex constitutionibus Apostolicis abundè patet.

Ἕμνος Ἑσπερινός.

Ὡς ἱλαρὸν ἀγίας δόξης ἀθανάτου Πατρὸς, ἑα-
νίου, ἀγίου, μεγαλοῦ, Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐλθόντες ἐπὶ τῷ
ἡλίῳ δύσιν, ἰδόντες ὡς ἐσπερινόν, ὕμνῳ μὲν Πατέρα,
^e Ὑιόν, καὶ ἅγιον Πνεῦμα ἡ Θεόν. ⁱ Ἀξιόν σε ἐν πᾶσι
ἡγεῖσθαι ὑμνεῖσθαι φωναῖς ἁγίαις, Ὑιὲ Θεῷ, ζῶντι ὁ
διδύς, ἰδιὸ ὁ κόσμος σε δοξάζει. ^m

Ita Hymnum hunc exhibent codices impressi.

^d V. de Symbolis, pag. 35.

^e Lib. ii. cap. 59. & lib. viii. cap. 35. nam proximè sequitur c. 36. περὶ φωνῆς ὁπλὺχνος, sive Oratio Lucernalis, à Psalmo distincta, & εὐχαεσία ὁπλὺχνος à nostra omninò diversa, & longè amplior, cap. 37. uti illa quoque, quæ post hymnum matutinum sequitur, & titulum præfert ἐσπερινός: lib. vii. cap. 48. Vide Niceph. Callisti H. E. lib. viii. cap. 27. & Goari Eucholog. p. 32.

^f αἰνῶμεν, ita apud S. Basilium de Spiritu S. ad Amphilocho. c. 29.

^g καὶ ἕδρ' apud S. Basil. uti etiam ad finem Psalterii in Bibliotheca Bodleiana in 4°. Et in cod. Corp. Ch. Cantabr.

^h Θεῷ, apud S. Basil. & in Psalt. Oxon. 4°. Et cod. Cantabr.

ⁱ Ἀξιόν εἶ, Psalt. Oxon. 4°. ita in cod. Cant.

^k ὁσίαις, Psalt. Oxon. 4°

^l διὸ ὁ κόσμος σε δοξάζει. Psalt. Oxon. 4°

^m In fine codicis Cantabr. hæc adduntur: Παθὲν καὶ πάντων ὑπαρ-
χῶν ὁ ὢν Πατήρ, καὶ συνδυναστών ἔχεις τὸν σὸν Ὑιόν, καὶ ἰσότητος
φύσιν Πνεῦμα ζωῆς, καὶ Τεσσάρων δεικνύεις τὸ ἀμείβεσθαι.

Hymnus Vespertinus.

Lumen hilare sanctæ gloriæ immortalis Patris, Cœlestis, Sancti, Beati, Jesu Christe, quum ad solis occasum pervenerimus, lumen cernentes Vespertinum, laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum Deum. Dignus es tempore quovis sanctis vocibus celebrari, Fili Dei, vitæ dator : quapropter mundus Te glorificat.

ENOTIKON

ΕΝΩΤΙΚΟΝ,
ΣΙΝΕ
De Causis Remediisque
DISSIDIORUM,
QUÆ
ORBEM CHRISTIANUM
Hodie affligunt,
Exercitatio Theologica.

Authore THOMA SMITHO, S.T.D.
Et Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero.

100, 100



ΕΝΩΤΙΚΟΝ,

SIVE

De Causis Remediisque Dissidiorum, quæ orbem Christianum hodie affligunt, Exercitatio Theologica.



QUANTUM salutaris illa Christianæ Religionis doctrina conducat universæ paci stabiliendæ, ultra quam humani ingenii vires in unum collectæ vel comminisci possint, utinam id tum eventu congruo, tum vitâ & moribus Christianorum adeò compertum haberetur, ac ex designatione Christi æque debitis sanctissimæ Institutionis finibus sit testatissimum. Ne similitates in inimicitiam erumpant, ne inimicitia in odium, quali severitate vel primos affectuum impetus in ordinem cogendos docet perfectissima illa vivendi norma ! quale impèrium dat menti, ut tumultus qualescunque, quos ira, quosve cupido ciet, facile compescantur ! Quali curâ vel Deo dignâ illic cautum est, ne quis de proximo malè mereatur ;

L 4

ut

ut neminem, ne hostem quidem, animo hostili tractet; magisque ab injuriis retorquendis, quàm à morte subeundâ metuat; ut omnibus, non segnitèr quidem inertique voto, sed pro virili, benefaciat; ut denique vitam salutemque propriam alieno commodo posthabeat! Quali majestate verborum divinus ille legis Christianæ lator sancendum curavit, ut cuiuspiam jura, sorte nascendi, vel qualicunque modo, quem communis vitæ usus legumque civilium vigor introduxere, debita, ipsi consent, integræque maneant! Quam felix autem mundum bearet pax nunquam interrumpenda, si nulla vis adhiberetur; si ab alienis invadendis penitus esset abstinendum; si propriâ, quam largitur Deus, sorte quisque contentus, in illud, quod aliorum est, vi & armis non grassaretur! Ita à Christo optimè consultum erat humani generis commodo, ultra omnem vel prudentissimorum Legislatorum institutionem. At de iis, qui ipsi nomina dederint, & in omne ævum daturî essent, quanto sanctiori curâ æstuabat Christi pectus, ut mutuus ille amor, quem eadem fides, quem eorundem sacrorum communio, quem ejusdem beatissimæ fortis in cœlis fruendæ spes tot tantisque nominibus poposcerat, promptissimâ sibi invicem benefaciendi voluntate, charitatisque, cum frequens postulaverit occasio, officiis augetetur & in æternum perennaret! in hoc adeò intentus erat, quasi animam effusus, antequam cruci affixus moreretur, utpote qui mundo valedicturus in illa divinis-

simâ

fima oratione, apud D. Johannem, cap. xiv. quâ Discipulos non tam docuit, licet & docuit potentissimè, quam demissè, si ita loqui fas sit, & humillimè, & affectu planè obstupefciendo obtestatus est, nihil antiquius potiùsve habuit duxitque, nihil, quod ipsi charius, illisve utilius videretur, nihil, quod ipsius amorem ostenderet magis, aut magis ipsorum curam mereretur.

Huic autem postulato, cui præsidio erant tum summa illa, quâ nititur, auctoritas, tum æquissima ratio, ne sine impietatis & sacrilegii reatu, aut sine periculo propriæ salutis à quoquam violaretur, quis crederet ipsos Christianos, Christi juxta ac sui immemores, usque adeò audere, ut contra eant, quasi non amore mutuo aut animorum consensu, sed convitiis, sed partium studio, sed dissensionibus, sed odio Christiani esse dignoscerentur? Diu est, ex quo hanc vesaniam luens, tantis malis ingemuerit Ecclesia Catholica, infidæ, uti videtur, paci, à tot lanienis stragibusque, (quibus ab Ethnicis Imperatoribus, qui collabentem Idololatriam his quasi tibicinibus suffulcendam putaverint, ubique sævitum erat) & sibi denuò restituta, ut a Christianis longè atrociora pateretur, per quorum ferociam vix habuit, quod de Neronibus, de Deciis, de Diocletianis vel minimùm quereretur. Quos enim metus, quos pudor, quos Christiani nominis reverentia, quos commune periculum sibi invicem antea intimo affectu conciliaverant, cum

cum jam non amplius à Gentilium Magistratum tribunalibus, ab armatis militibus, à crucibus, à leonibus, à flammis metuendum esset, cum securissimè liceret esse Christianis, cum Imperium Romanum, quantum quantum erat, in fidem, quam tanto furore nuper amolitum iverit, transiisset, hanc stupendâ felicitate & otio, quod Deus fecerat, malè usi, in se, cum hostes deessent, procacitè satis inolescere cœperant. Fidei simplicitate insuper habitâ, de opinionibus & ritibus, quasi salus æterna ab iisdem pependisset, acriter certatum est; unde amissâ charitate, dum quisque altercando victoriam sibi meditatur, malæ suspiciones & jurgia schismati viam aperuerint. Hinc altare adversus altare, cathedra adversus cathedram erigitur, & malefani seditiosique Oratores è pulpitis classicum canunt ad bellum sacrum, tanquam cum hostibus Christi pro summa religionis conflicturi: hinc à mutua communione utrinque abstinendum esse pietati ducunt, quasi cum Ethnicis & Judæis minori cum periculo & reatu esset communicandum. Hinc odiosæ criminationes impactæ, execrabilésque tituli, quasi à fide Christiana penitus defecissent: è quibus iniquissimis censuris tandem oritur odium planè irreconciliabile, & nullâ arte, obsequio nullo, dum hasce malas opiniones animo insidere patiuntur, emolliendum.

Tantum verò abest, ut fatale hoc incendium, quo dudum exarsit Ecclesia, quicquam hodiè remittat virium, ut, novo fomite addito, majori

jori impetu sæviat, ita ut flammis ipsius ne-
quam sit obfistendum. Quotusquisque est à
misericordia, à pietate, ab affectu humano adeò
alienus, qui tumultuum, quibus adhuc-dum
concutitur orbis Christianus, meminisse totus
non horreat? non illos volo tumultus, quibus,
flagrante bello, iratis manibus tot opimis victi-
mis impio & barbaro ritu immolatum est, sed
quos hæc facerrima circa religionis apices dis-
sidia excitârunt, in quibus ne animabus quidem
parcitur, dum illæ ad gehennam, ad æterna
supplicia dirissimis excommunicationibus sen-
tentiisque decretoriis, quantum valet furiosus
hic zelus, damnantur. Ita nimirum summæ
pietatis esse videtur, malè iis augurari, à quibus
vel in leviculis erit dissentiendum. Interim
dum quisque ambitioni, famæ, ingenio strenuè
velificatur, dum parti, quam vel fors ingerit,
vel præjudicium, vel institutio, aut commo-
dum suadent amplectendam, perquam immo-
deratè favet, dum mundanus amor, metûsque,
ne quicquam famæ, honori, pompæ indè de-
cedat, veritati obstruunt, dum præfracta men-
tis obstinatio omnem tolerantia aditum præ-
cludit, licèt dissidia æterna fortassè nolimus,
invidiamque tantæ criminationis à nobis ipsis
ingenti cum industria amoliamur; per socor-
diam proterviàmque nostram planè obstat,
quo minus ea sopiantur, dum non, juxta præ-
scriptum Apostolicum, in epistola ad Romanos,
cap. xiv. v. 19. *quæ ad pacem faciunt, sectamur,*
nec quæ ad mutuam ædificationem.

In

In horum tumultuum, quibus Christiani in opprobrium tam sanctæ & venerandæ professionis tantâ cum acritate inter se hodiè committuntur, originem inquirendum propositi, unde nimirum ac quibus de causis ab hac mansueta indole & ab hoc pacis & mutæ ædificationis studio, quod his in verbis affectu paterno suadet, & autoritate Apostolicâ jubet sanctus Paulus, discessum fuerit; deinde ecquid spei redintegrandæ pacis Ecclesiasticæ inter Christianos reliquum sit, quibûsque tandem remediis, horrendis istis malis, quibus orbis Christianus propemodum conficitur, occurrendum sit, exploratum ibo.

Quod ad primam disquisitionis nostræ partem spectat; ea, quæ Christianorum dissidiis originem dederint, & ne fraterno, qualem esse decet, affectu, eorundemque sacrorum consortio simul coalescerent, maximè fuerint impedimento, his sequentibus capitibus concludam; cæteris omis-
sis, quæ sunt levioris momenti, vel ad hæc facile reducendis.

Quorum primum & præcipuum videtur, eò quòd à simplicitate fidei Christianæ immane quantum discedatur.

Cum nascente Christianismo Apostoli miraculis reliquisque Spiritûs sancti donis ad id muneris feliciter exequendum cœlitus instructi, quilibet nempe in propria provincia, prout ipsi fortitò obtigisset, Evangelii præconium fecerint, non res erat adeò operosa, quod ad fidei doctrinam spectat, nec tantâ disquisitione indigebat,
fieri

fieri Christianum : cujus equidem mysteria in ingentem non excrevisse numerum hinc abundè constat, quod summa credendorum in brevem epitomen formulamque ab iisdem redigeretur, eamque simplicem, ac sine difficilibus tortuosisque verborum nodis ambagibusque nudè & clare propositam, ut licèt res ipsæ humani intellectûs vim planè exsuperent, & ab ingenio, utut subtili & curioso, frustra captentur, ne idiotæ quidem minûsque gnari, siquid sapiant, sibi quoque hâc in re non consultum fuisse causari debeant. Hæc autem fides in regionibus maximè diffitis, quibus nullum commercium intercesserat, una eademque emicuit : non aliter Romæ, aut Corinthi, quàm Hierosolymis credebatur. Eodem spiritu acti, Christianos, quotquot uspiam erant, eadem creditu necessaria docuere : inde mirabilis ille istiusmodi dogmatum apud omnes consensus erat, quasi non seorsim, sed communi Apostolorum simul præsentium consilio totum illud sanctissimum negotium perageretur. Extremo enim Orienti hâc ex parte cum Britannii nostris conveniebat, quasi primis illis Ecclesiæ seculis sine beneficio & usu pyxidis nauticæ, ingenti oceano peragrato, paritèr ac hodie, hâc illâc facillè fuisset navigatum. Quod utique de reliquis dicendum est, uti præclare ostendit sanctus Irenæus in libro primo adversus hæreses cap. 3. inde fidei veritatem, è tot nimirum gentium, quas tanta locorum intercapedo, tantum sermonis tum morum dissimilitudo, & tot maria interfluentia à se invicem discriminârunt, consensu,

consensu, ineluctabili argumento evicturus,
 • Nam etsi, inquit, in mundo loquela dissimiles,
 sed tamen virtus traditionis una & eadem est,
 & neque hæ, quæ in Germania fundata sunt, Ec-
 clesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque
 hæ, quæ in Iberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis,
 neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Æ-
 gypto, neque hæ, quæ in Libya, neque quæ in
 medio mundi sunt constitutæ: sed sicut sol, crea-
 tura Dei, in universo mundo unus & idem est,
 sic & lumen & prædicatio veritatis ubique lucet,
 & illuminat omnes homines, qui volunt ad cogni-
 tionem veritatis venire. Ita Ille. Omnibus ita-
 que in ejusdem fidei professione sacro Bap-
 tismi ritu acceptis, si fortè fortunâ alter alteri
 intervenisset, diversarum licet gentium, agnitâ
 hâc fide, quam uterque habuerat communem, in-
 mutuos amplexus hic & ille ruebant, quasi inte-
 gram ætatem sub iisdem Magistris simul contri-
 vissent. Neque aliter fieri potuit, quia nondum
 ab institutionibus Apostolicis, per innocentiam,
 per zelum, per constantiam istorum temporum

• Καὶ ὅτι αἱ χῆτ' ἢ κόσμον διδάσκοντες ἀνόμοιοι, ἀλλ' ἡ δύναμις
 τῆς θεοδόσεως μία καὶ ἡ αὐτή. Καὶ ὅτε αἱ ἐν Γερμανίᾳ ἰδοῦ-
 μέναι Ἐκκλησίαι ἄλλας πεπιστάκασιν, ἢ ἄλλως θεοδοῦσιν,
 ὅτε ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ, ὅτε ἐν Κελταῖς, ὅτε καὶ τὰς Ἀνατολάς, ὅτε
 ἐν Αἰγύπτῳ, ὅτε ἐν Λιβύῃ, ὅτε καὶ μέσα τοῦ κόσμου ἰδοῦμεν:
 ἀλλ' ὅσοις ὁ ἦλεθ' ἐκτίσθη τὸ θεῖον, ἐν ὅλῃ τῇ κόσμῳ εἰς καὶ
 ὁ αὐτός, ἔτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῇ φαίνεται, καὶ φω-
 τίζει πάντας ἀνθρώπους, τὸς βελούτους εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας
 ἔλθον. Hieronymus Epist. ad Evagrium. Non est alia Romanæ
 urbis Ecclesia, alia totius orbis æstimanda. Et Gallia, & Bri-
 tannia, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbara
 Nationes unum Christum adorant, unam observant regulam Veritatis.

erat

erat variatum: non quasi in omnibus convenisset, nullâ opinionum varietate interpositâ: (hoc enim in tanta ingeniorum varietate neutiquâm sperandum erat, & absurdus est, quàm ut id quispiam vel somniando fingat) modò de integra in Christum fide constiterat, in cæteris impunè & sine censura liquit secus opinari. Neminem præjudiciis suspicionibûsque iniquis prægravabant: à tali, tanquam à sacro & piaculari capite, non censuere aufugiendum.

At dum in Ecclesia constituendâ indefesso prædicationis labore per universum terrarum orbem infudatum esset, quo posteritati, post illos inter Cœlites receptos, in omne ævum melius confuleretur, eandem, quam prædicarant, fidem in æternis monimentis consignatam voluere iidem sanctissimi homines, ut hæc oracula falli nescia, si quod dubium oriretur, si quis audaculus, lasciviente ingenio fretus rebus, studeret novis, si quod novum dogma Apostolicæ traditionis prætextu introducere quispiam malè feriat, satageret, sciscitatum iretur. Ad hos itaque sacros codices, tanquam ad normam fidei, ubique erat provocatum; ex hoc illibato fonte veritatis divinæ latices petebantur: hinc an quispiam de fide rectè an malè senserit, disceptatum: modò veritati Evangelicæ non detractum erat, de quæstionibus subtilibus nulla lîs cuiquam movebatur. Eodem communionis jure quisque gaudebat; iisdem sacris pietate concordî simul interfuere; à quibus, si quispiam pro necessitatibus disciplinæ arceretur, illud malis

malis ipsius moribus, quos hâc methodo Ecclesia emendandos cupiebat, unicè erat imputandum.

Cum verò Hæreticorum pertinacia, subtilibus malesani ingenii argutiis strophisque freta, scripturalibus fidei propositionibus sibi minimè acquiescendum duxerit, cum in arcana cœli, quibus investigandis planè deficit intellectus, sacrilego ausu involârit, cum revelationibus reiectis insupérque habitis, veritati Evangelicæ reclamârit, cum denique malis artibus à verâ fide retinendâ imbecilliores, quos hoc exitiale virus afflârat, avellerentur, de Consiliis œcumenicis indicendis, ne^b ex læsa fide læderetur simul pax Ecclesiæ, à Constantino reliquisque piissimis Imperatoribus seriò erat cogitatum. Tot verò heroum, qui illic conveniant, labor non in condendis novis articulis, sed in veteribus explicandis totus inpendebatur: horum enim vetuère tum zelus, ne antiqua fides ἀπαξ ὡς ἀδωδυσία, h. e. *simul tradita* faceretur abirétque in defuetudinem, tum pietas, ne nova procuderetur. Quid enim aliud, ut Vincentii Lirinensis cap. xxxii. *Commonitorii* verbis utar, *Conciliorum Decretis emisa est*, [*Christi Ecclesia*] *nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur*;

^b Hoc Constantinus maximè deprecatus est, tanquam omnium malorum maximum: In oratione ad Patres Nicænos apud Euseb. in vita ejus lib. iii. c. 12. αἱ ἐμοὶ γὰρ πάντες πόλεμοι καὶ μάχαι δυνάμει καὶ κατεπόλεον ἢ τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ ἐμφύλιον πόλεμον αἰσάσεις. καὶ μᾶλλον ταῦτα ἢ ἐξωθεν λυπηρὰ καταφαινέσθαι

quod

quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur; quod antea securius colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur? hæc Ille. Itaque quò penitus obmutesceret hæresis, seque elisam victamque fateretur, Scripturarum sacrarum præsidio potissimum fulti, constantissimâ omnium Christianorum, de fide rectè sentientium, seculis retroactis praxi, & antiquissimis, iisque verissimis, traditionibus in subsidium quoque adhibitis, veritati Christianæ, quam Arius, Nestorius, reliquique infames Hæresiarchæ offuciis & glossematis corruperant, brevibus Symbolis optimâ quidem curâ prospexerunt, ut inde mysteria fidei, quibus religio Christiana salusque Christianorum inniuntur, melius explicatiûsque perciperentur.

Hoc insigni, quotquot ejuratâ perfidiâ ab ipsius partibus steterant, ab hereticis secrevit, hoc vinculo ipsos invicem firmiter colligavit Ecclesia Catholica, utpote his tesseris productis, pro amicis, pro fratribus, pro Catholicis, ubicunque essent terrarum, planè habitos. Neque enim alio auctoramento, commendatione aliâ opus erat; uti postea apud Orthodoxos *formatarum Epistolarum* commercio communionem Ecclesiasticam mutuò colendi & fovendi pia & laudabilis invaluit consuetudo. Nec aliud veræ fidei retinendæ exigebatur argumentum. Quàm benè Ecclesiæ Catholicæ celsurum sit, si intra hos limites obtinendæ communionis ratio constaret, cuivis vel lippienti facile intueri est: si antiquâ fide, quæ tot Christianorum

M

myriadas

myriadas æternæ salutis compotes reddiderit, à novarum opinionum, quibus superstitio & innovandi libido originem dederunt, corruptelis affumentisque manente integrâ, iisdem conditionibus, quas vetus Ecclesia pro summa auctoritate figendas curaverat, sacris interesse liceret, non adèò ubivisesset laboratum. Facili hâc methodo schismati iretur obviam : concessâ hâc in cæteris, quæ fidei fundamentum non attingunt, aliter sentiendi libertate, quod æquissimum est, paci æternæ consulereetur. Romanam idèò Ecclesiam violatæ pacis ream jure merito postulamus, quæ refixis primævæ antiquitatis regulis, novos articulos, tanquam fidei magistra, licèt sub specioso declarationis titulo & prætextu, orbi Christiano obtrudit. Qualis autem hæc tyrannis, ut nulla Scripturarum, nullâ veterum Ecclesiæ seculorum habitâ ratione, ex arbitrio Curiæ Romanæ, éque Scholasticorum opinionibus tota pendeat Christianorum fides, ut à communione arceantur reliquæ Ecclesiæ, nisi se in clientelam ipsius turpiter dedant in fide erudiendas, ut denique odio Schismaticorum & Hæreticorum stigmatè inurantur, quotquot jus suum adversus novaturientium machinationes eunt vindicatum? Ad Scripturarum normam exigatur fides ; primorum temporum doctrina in criterium sanæ fidei statuatur ; in usum revocentur antiqui Canones ; nullâ vi conscientis illatâ, facessant iniquissimæ conditiones ; revocabitur quoque pax Ecclesiastica, omniâque in orbe Christiano salva futura sunt.

Inde

Inde enim aliud pacis ineundæ impedimentum oritur, quod secundo loco memorabo, nimirum quòd dogmata, quæ salvâ fide ignorari possint, longè majoris æstimentur, quam par est, inque rerum ad salutem creditu necessaria-rum censum præproprio zelo transeant.

Cum Romanis, ad quos scribit B. Apostolus, cap. 14. de fide in Christum, æternum filium Dei, verumque Messiam, & humani generis Redemptorem, convenisset, ne in odium leviculis de causis exortæ dissensiones ulterius exardescant, hoc in capite cavet maximè. Non eadem erat omnium de cessatione Legalium opinio. Qui adultiorem fidem nacti fuerant, sibi de erepto Judaicorum rituum iugo gratulabantur; dum cæteri, de libertatis Christianæ privilegiis haud satis firmitè instructi convictique, neminem, saltem Judæum neminem, ab iisdem ritibus observandis acritèr contendunt eximendum. Hinc sententiis damnatoriis in sese tanquam in violatores legis divinæ fulminant, sibi que pessimè ominantur; quasi utrosque idem cælum non recipiat. Quid ad hæc Apostolus? Hanc animorum impotentiam ipsi maximè displicere docet, utpote à moribus Christianorum alienissimam; neminem tantillâ de re in æternum periclitaturum; infirmioribus, quibus veritas ista non adeò clarè patebat, hâc ex parte paululùm indulgendum esse; nec ab his fidem Christi, quam susceperant, ejuratam, qui vim aliquam obligationemque rituum retinendorum adhuc restare censuerint, nec ab

illis legem divinam quoquo modo læsam, qui nullam; à mutua communione hæc de causa non alterutrinque abstinendum; liberum cuique iudicium permittendum, modò in Christum rectè credat; fidem hanc communem, de qua inter utrosque convenit, esse validum satis futuræ concordie fundamentum; & denique paci ædificationique mutux potius studendum esse, quàm inutilibus controversiis, quæ ad utriusque partis beneficium commodumque, quæ ad sanctitatem vitæ bonosque mores, ne minimum quidem, nihil planè faciunt.

Quanto moderatius se gesserint, qui posthabita pace ob opiniones longè minoris momenti, quàm de quibus hic certatum erat, Ecclesiam Catholicam convulsam eunt, quasi ejusdem essent cum divinis oraculis authoritatis, & eadem plenissimâ fide amplectendæ, si Apostolum ipsis in exemplum mansuetudinis hic præeuntem sequerentur! *Fidem habes*, uti ille vir sanctissimus, juxta ac prudentissimus monet commate vicesimo secundo, *apud te ipsum habe in conspectu Dei*. Dogmata, si quæ sint, uti plurima sunt, quorum gratiâ non sine summa injuria in execrandas lites exardescimus, quisque sibi privatim habeat; saltem si tandem erumpant, si in totum supprimi nequeant, ne pro oraculis venditantur; quasi actum sit de iis, quibus nulla est hæc ex parte nobiscum consensus. De particularibus Ecclesiis idem, quod de privatis hominibus, iudicium esto. Dum quod universa Ecclesia olim credidit, retineant singulæ,

Diffidiorum Exercitatio Theologica. 165.

gulæ, suis tantum figant leges, articulos, constitutiones : cæteræ identidem hoc jure gaudeant. Si argumentis hinc inde in propriis dogmatibus firmandis à dissidentibus utrinque contortis disputationibusque incaluisent Scholæ, salvis interim liberi judicii & conscientiæ juribus, iisdem rixis non adeò malè multaretur Ecclesia. Hoc quippe humano ingenio dandum est, ut in rebus abditis rimandis se ultrò exerat, inque novis speculationibus sibi maxime placeat, modò non extra debitos fines, quos sacra Scriptura, quos Ecclesiæ Catholicæ Symbola, quos recta ratio statuunt, abripiatur. Æternum rixentur, quos hæc disputandi impetigo affricuit, Scholastici, licet fortasse in hac animosa & acri ingeniorum concertatione subtilitatis famæ magis quam veritati studeatur : hanc laudem per me licet vendicent habeantque, ut subtilissimi disputatores esse censeantur ; sibi quoque adblandiantur, se dogma illud, de quo controversum erat, tot curiosis distinctiunculis evolutum, arte & ingenio tandem evicisse ; suo sensu, judicio suo, cum vel error menti malè instructæ sit longè gratissimus, placidè & sine censura fruuntur. Addo, dogmata qualiacunque sint, summâ religionis Christianæ illæsâ, à quavis Ecclesia particulari, sopiendis litibus, ne fusque deque sententiarum divortiis omnia misceant novarum rerum cupidi, in articulos tanquam in instrumentum pacis & concordiæ condantur, à suis ut pia, ut verisimilia habeantur, modò cum fundamenta-

libus fidei articulis pari passu non incedant ; modò cæteris Ecclesiis, quæ alienæ jurisdictioni subsunt, non sint fraudi ; modò ut ab universis Christianis quocunque sub axe positis sub pœna diri anathematis recipiantur, *authoritatis Apostolicæ* prætextu, non decretum sit. Ut verò inter Scholasticorum placita, quæ novitatem sapiunt, & Scripturæ effata nihil discriminis intersit, ut id honoris, quem sola infallibilis veritas exigit, humanæ authoritati, errori affectibusque nimium quàm obnoxia, deferatur, ut privatorum dogmata in numerum pro necessitate salutis credendorum transeant, ut tot temerariis definitionibus sanctionibusque cogatur assensus, qui optimo jure liber erat relinquendus ; hoc est, quod hodiè urit orbem Christianum, & ipsius paci officit. Hoc omnium proborum, qui liberè sentiunt, cordolium, hæc superioris ævi, quo in reformanda Ecclesia tantoperè infudatum erat, justissima querela, quam ab ipsis quoque Romanensibus extorsit veritas. Hâc audacia investum schisma, vel feris nepotibus maximè deplorandum, tot tantisque malis gravidum, omnémque exinde redintegrandæ communionis Ecclesiasticæ spem, ni hujus dissidii auctores ipsorum vesaniæ pœniteat, sublatam, impendiò dolemus.

Rem seriò perpendenti quàm maximè obstupescendum videbitur, alterum illud Sacramentum, quod in mutua contesserationis & fidei in eundem Salvatorem crucifixum, quem illud verè & realiter exhibet, indicium instituerat

Christus,

Christus, astu Diaboli & hominum nequitia eatenus perverti potuisse, ut hinc illi, quos ejusdem corporis & sanguinis pretiosi compotes esse voluit, sibi invicem salutem mutuam isthoc pretio procuratam redemptamque invidendi occasionem arreptum irent. Ecqua enim alia ratio obtenditur furoris, qui zeli titulo arma capeffivit, Dei causam quasi vindicaturus; intulitque hoc sacro pretextu tot strages mundo, nisi quod in sententiis de hoc mysterio augustissimo declarandis pauló variatum sit? Quantum sanguinis ubique effusum fuit ab exacerbatis, quæ mutuam spirant internecionem, partibus, litibus hisce Sacramentariis, eheu! quàm infelicibus! in funestum bellum tandem conversis! Hinc quoque tum gladio tum igni sævitum est ultra omnem Ethnicorum rabiem, in tot millenos, omni alio scelere puros, hanc præcipuè de causa, eò quòd à Transsubstantiationis dogmate abhorruissent. Christum verè adesse sub sacris symbolis, sèque verum corpus Christi, post elementorum consecrationem, percipere, nemo non fatebitur: hanc verò fidem Christi instituentis verbis fundatam, de qua generalis omnium consensus per omne Christianismi ævum increbuit, in veram sacræ communionis tesseram acceptum iri, quis sanæ mentis non dixerit, nisi præceps ira obstitisset? Si simplici hanc fide contentus, neglectis curiosis inquisitionibus, rem sanctissimam quisque seriò egisset, si præsentia modum Ecclesia Romana, Concilio primùm Lateranensi, deinde Tridentino,

tino, non temerè definivisset, si Lutherani cæterique sibi solis hac in re sapuissent, nemini præscribentes, damnantes neminem, diversæ licèt opinionis, coram iisdem altaribus, à quibus hodiè arcemur, tanquam profani nondumque initiati, à quibus etiam aufugimus, uti olim ab Idololatrarum sacrificiis, genibus provoluti, cum maximo tum pietatis tum concordie fructu iisdem sacris interfueramus. E Sacerdotibus nemo cuiquam Laïco ad venerabile hoc sacramentum devoto corde anhelanti id communicare, è Laïcis nemo à quoquam Sacerdote ritè ordinato idem percipere metuerat.

Quod de aliis complusculis ejusdem prorsus momenti, quæ salvâ fide in disceptationem veniunt, dicendum habeo: dum enim exclusis aliorum interpretamentis, sine Scripturarum & Apostolicæ traditionis autoritate & subsidio, ad novas determinationes descenditur, dum, quod usu hodiè fit, Scholasticorum argutiæ & rixosæ Theologiæ, quam otiosi homines ingenio subtili malisque ratiocinationibus nimium quàm fidentes procuderant, placita tali in pretio apud quosvis sunt, ut necessariæ Christianæ religionis appendices esse censeantur, dum articuli fidei, qui vetustiora Ecclesiæ Catholicæ secula prorsus latuère, quasi in immensum, uti ex hodierno Ecclesiæ Romanæ statu obscurisque aliarum Ecclesiarum confessionibus liquet, ad libitum augentur, quid aliud hoc zelo, hac industriâ effectum fuisse experimur, nisi ut,
orbe

orbe Christiano in tot partes distracto, penitus tollatur concordia? Sed de hoc secundo diffidiorum fonte satis à me dictum est, & fortasse plusquam satis. In reliquis, quæ supersunt, explicandis, non est, quod longo sermone vos morer, vestramque matrem patientiam.

III. Non leve momentum promovendis augendisque Christianorum discordiis adhibetur ex effræni ista, quæ Romanis Pontificibus olim adhæserat, & etiamnum adhæret, dominandi libidine. Ecclesiæ Romanæ magnitudini parum convenisse videbatur, ut antiquo regionum suburbicariarum limite includeretur: quippe non ordinis primatu, non veteri Patriarchatu, cui tamen Ecclesiæ Britannicæ non subjacebant, reliquisque privilegiis ob honorem majestatemque urbis, quæ principem & mundi domitorem populum è sinu ipsius quaquaversum diffuderat, tandem collatis contenta, majorum exemplo, imperium in universum orbem, ubi ubi degunt Christiani, superbè ambit. Si cæteri Patriarchæ, quibus id honoris eadem autoritate, h. e. Imperatorum gratiâ, Conciliorumque generalium decretis & constitutionibus delatum erat, (in quo assignando eos ad civiles earundem civitatum dignitates & privilegia solum respexisse ex penultimo canone Concilii Chalcedonensis liquet) jura ac libertates adversus Romani Pontificis molitiones tueantur; si alieno jugo subesse nolit, ni Romanam tanquam magistram & dominam turpi obsequio adorent, ipsiusque decretis obsequantur, actum

actum est illicò de iis, postulantur schismatis, nec digni judicabuntur, quibúscum sacram retineant cõmunione. Cum post divisum etiam Imperium diù inter Orientem & Occidentem, saltèm simulatâ pace, concordatum fuerit, post omnia turbavit Romanorum Pontificum, qui Græcorum rebus quasi suis intercesserant, ambitio. Neque enim aliam originem fatale illud dissidium habuit, licèt vulnus magis magisque recruduerit, cum articulus ille de processione Spiritûs sancti à Filio Symbolo Constantinopolitano Romæ adderetur, inconsultis primùm Orientalibus Episcopis, imò post acerri-mè refragantibus contendentibúscue, id per canones Synodi Ephesinæ nullatenùs licuisse. At res in Occidente securiùs agebatur, nisi quòd unus & alter huic tyrannidi subinde sese opposuerint, irritò licet conatu.

Dum verò spretis canonibus in omne jus divinum humanúmque grassandi licentiam sumunt, dum quicquid est uspiam Ecclesiasticæ authoritatis ad se trahunt, dum in conscientias dominari cupiunt, nec quippiam credendum fuerat, nisi quod Romanæ Curix liberet, eccui mirandum videbitur, orbem Christianum, tot malis è veterno excitatum, de hujus tyrannicæ potestatis exercitio tandem queri, & de recuperanda libertate seriò meditari cœpisse? Interim quid Romæ agitur? num ut tot Regum, Principum, Rerúmque publicarum æquissimis postulatis sæpe sæpius repetitis debito modo & cum effectû satisfiat, deliberatur? num prædia
&

& possessiones, quas diu vi planè manifestâ infederant, h. e. communia religionis jura Episcopis & populo Christiano, quibus postliminio debebantur, cedunt? nihil minus: exclamant, frendent, insaniunt, è monte Capitolino Vejoves hi excommunicationis fulmina contorquent in eos, quasi in tot sacra capita, à quibus hoc piaculare crimen admissum erat, eò quod eos Romanæ servitutis fuerit pertæsum. Hoc est, quod ipsis adhuc doleat, quod tot malis artibus præstigiisque hodiè eant repetitum: hoc est, quod schisma, ni omen avertat Deus, æternum esse faciat. Neque enim quicquam aliud expectandum est, cum non alia conditione, quantum per ipsos est, pax acquiratur, nisi amissæ libertatis; nec quieti esse sinamur, nisi ad jugum defuetum excussúmque stupidi redeamus.

IV. Has circa sacra lites discordiâsque, quibus miseri mortales agitamur; in tot Sectas discissi, hinc quoque oriri tristi experimento satis liquet, quòd, obrepente animis desidiâ, pietatis studium refrixerit, & à sanctissima vivendi, quam præscripsit Christus, beatissimus noster Salvator, normâ adeò turpitèr descitum fuerit. Non est, quod in molliem, in luxum, in malefanos affectus, in ferinos Christianorum mores, quibus orbis hic noster vix sibi integer constat, tot bellis divulsus, ut penè fatiscat, & extremum exspiraturus videatur, in præsentì convocatis argumentorum, quæ affatim suppetunt, copiis tragicè exclamem. Singultibus & lachrymis

lachrymis quam fatyrâ res mihi longè dignior visa est. Nec cum his Christiani nominis propudiis & dehonestamentis mihi jam agendum est. Quam minimum veræ & solidæ pietatis apud eos reperitur, qui illam profiteri pro vitæ instituto suarum esse partium ducunt! quam plurimum verò superstitionis! dum pecularia, quibus ab invicem distinguimur, dogmata in indicium Christianismi cedunt. Ita nimirum, pro genio seculi, non expoliendis moribus, sed opinionibus sedulò incumbitur, nec ut vita sanctissimæ professioni aliquatenus quadret, sed ut adversarios argumentis vincamus, illorumque sententiam falsi demus convictam, nobis curæ est. At! at! quanto minus pietatis officiorum studio attenditur, magis detrahitur charitati: acriori quidem zelo pro rebus leviusculis dimicandum esse autumamus, de vita parùm Christiana, hâc fallaci & adulatoriâ methodo, cum Deo quasi decisuri. Frustra de nostrorum temporum infelicitate querelas effundimus; per nos ipsos, si velimus, meliora sperari fas est; si redeunte, quæ diu exsulavit, pietate, morumque disciplinâ restitutâ, rem Christianam, quæ verâ in Deum pietate, in proximum charitate, bonisque operibus, non irâ, non odio, non rixis subtilibusque, ubi de summa religionis convenit, quæstionibus perficitur, tandem serio agamus, tot partes hodiè avulsas distractasque citò coïturas, pacemque Ecclesiasticam de facili redintegratum iri, non vanum erit augurium.

Dum

Dissidiorum Exercitatio Theologica. 173

Dum verò adeò malis moribus & præter propter vitam religiosam vivitur, dum relictis charitate & modestiâ adeò altum sapimus, ut cæteros, qui à nobis paulum dissident, desipuisse censeamus, dum Sectæ adhærescere & in partium diversarum patronos fulminatrice sententiâ invehi, præcipuum religionis argumentum habetur, dum ritibus placitisque Scholasticorum intenti, quod Christus & Apostoli faciendum præceperint, securè, quasi longè minoris esset momenti, negligimus parvique facimus, ex hac malè collocatâ industriâ, ex hâc insanâ ingeniorum pugnâ, interruptâ communionē, rem Christianam pessimè habitum iri, &, succrescentibus quotidie novis præjudiciis, malum hoc magisadolescere, nemo est consilio aut misericordiâ adeò vacuus, ut non id dolens gemensque quidem fateatur. Non mihi imputabitur, quod à vobis, Auditores, maxime deprecor, quasi senserim, nostrâ non referre, cuinam è tot Christianorum sectis nos ipsos addixerimus; absit. Pares tanto beneficio gratias Deo opt. max. referre non opis est nostræ, cò quòd Ecclesiæ Anglicanæ, verè Catholicæ, quæ inter reformandum, regiminis Apostolici & purioris doctrinæ tenax, à labe & corruptelis, quibus pulcherrimam religionis faciem deturpârunt Romanenses, tantum recesserat, sinu nascentes & sacro lavacro tincti excipiamur. Interim, ut iniquissimæ censuræ, quam præcavendam cupio, Apostolicam objur-gationem opponam, vers. 4. *Tu quis es, qui condemnas*

condemnas alienum famulum? proprio Domino perstat, aut cadit: stabilietur autem, potest enim Deus eum stabilire. Nec dicere verebor, nullusque dubito, quin vos omnes, Patres & Fratres in Christo venerandi, ejusdem sententiæ fautores juxta mecum sim habiturus, extremo judicii die majorem probæ & honestæ vitæ, quam sanæ opinionis, à Christo judice habitum iri rationem; neminem, qui Christianam professionem laudabili vitæ instituto decoraverit, licet in quibusdam, ni obstinatio mentis accedat, perperam sentientem, damnandum; & denique eos, qui, diversæ utpote communionis, in terris se mutuis convitiis proscindunt, deque ipsorum mutuâ salute penè desperant, ob salutarem fundamentalium articulorum vim, modò iisdem vita pura & verè Christiana superstruatur, per gratiam & misericordiam Dei, æternâ pace in cœlo simul regnatos.

Sed de dissidiis originibus hætenus; restat, ut de remediis, quod secundo loco proponebatur enarrandum, quorum ope tot malis, inde in orbem Christianum irruentibus, occurri possit, paulò differamus.

De componendis dissidiis frustra laboramus, vanique ad Ecclesiæ primitivæ unitatem anhelamus, nisi de censuris, quæ hætenus exclusere omnem charitatem, quibus ab invicem imperitumur, quippiam alterutrinque remittatur, & iisdem mediis, quibus in sacris communionem factam tectam retinuere veteres Christiani, in ea revocanda pariter utamur. In hac methodo
fi

si utrinque pacatis affectibus sit consensum, non erit desperandum, quin felicem exoptatumque exitum habeant pacifica consilia, piique dissidentium animos conciliandi conatus. Media autem pacem Ecclesiasticam redintegrandi, quæ dissidiorum causis supra recensitis directè respondent, in præsentî, quâ potero brevitate, exhibebo.

Quorum primum esto hoc. Sola simplex vetusque fides, è Scripturis èque generalium Conciliorum symbolis eruenda, usu ab universis Ecclesiis Christianis recepta, rejectis quibuslibet opinionum laciniis assumentisque, tanquam creditu ad salutem necessaria urgeatur. Cum hac fide communi tanquam glutine Ecclesiam Catholicam sibi firmitè cohærentem sancta communione usam fuisse certo certius sit; cum Catechumeni hanc fidem, quæ paucis constabat articulis, post debitam institutionem professi, Baptismatis gratiam consequerentur, hoc ipso nomine sacratissima Eucharistiæ mysteria percipiendi jus habituri, nulla alia conditione exactâ; cum in hac apud omnes Christianos (neque enim hoc sacro nomine dignandi sunt Sociniani, qui totam Christianæ doctrinæ compagem Sophisticis ratiociniis & mente arrogantissimâ convulsum eunt, qui in Christum, æternum Dei filium, blasphemi, Dei nostri gratiam transferunt in lasciviam humani ingenii, & solum illum Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum negant) plenissima sit ubique animorum consensio; quidni sacræ communionis

nionis fundamentum primævæ Ecclesiæ exemplo & praxi in hac quoque solidetur? Quo prætextu post fidem ubilibet receptam, & à Christo Apostolisque stabilitam, post tot secula quippiam dogma ut necessariò credendum superaddi licet, de quo apud veteres nemo vel fando unquam inaudiverit? quo jure tantus articulorum numerus obtrudi debet, præsertim verò cum testatum habeamus, hoc non religionis, sed solius commodi secularis & famæ promovendæ gratiâ, factum fuisse? Quod adeò malè inter Christianos conveniat, ac si non eadem, sed multiplex credendi regula olim proponeretur, non Christo, non Apostolis, non Religioni, quæ totum illud, quod salutem assequendæ fatis superque conducatur, absque perplexa verborum, ne quispiam crassioris ingenii criminetur difficultatem, ambage, cuivis vel mentis compoti expandit, sed zelotibus quibusdam, qui nova dogmata pro oraculis venditantes, ea sub diris & anathemate amplectenda orbi Christiano fastuosè obtrudunt, id unicè referendum est. Quanti furoris erit argumentum, quod Romanenses faciunt, in nos ob hæc opiniones rejectas, nudius tertius enatas, nullâque Scripturarum aut Antiquitatis auctoramento communis debacchari? At non soli, quod fortasse aliquantillum solatii miseris exhibebit, infelix posteritas damnabimur, quin & purissimæ Antiquitatis cultores, qui novi Symboli, quod Pius IV^{us}. condidit, articulos neutiquàm admiscere, in eandem societatem trahendi sint.

At!

At ! at ! si de iis ipsis, qui fidem ac religionem Christianam adversus hæresium pestem latè graf-fantem symbolis & scriptis, tanquam amuletis, munierunt, qui vitæ & sanguinis effusissimè prodigi & crucis candidati erant, qui flammæ amplexi, igneis vehiculis petiêre cœlum, tuen-dæ fidei veræ intentissimi, quos meritissimo *Sanctorum* titulo grati colimus, benè sentiendum sit, nos eorundem vestigia secuti, satis tuti, satis securi erimus ; neque est, quod ab his brutis fulminibus, quæ in nos vibrantur, ullatenùs metuamus. Ubique dispersi erant Christiani, five sub Patriarcha Romano, five Alexandrino, five quocunque alio, hujus fidei auctoramento tanquam fratres agniti, ad eandem salutem, quam neque sibi invicem invidebant, neque negabant, omnes simul & concorditè eorun-dem sacrorum consortio anhelabant ; tantâque charitate, ut illud obitèr interponam, flagra-bant, ut non de Donatistis, qui de iis pessima dixerint, malè ominarentur ; ne dicam ipsos de * Arianis cæterisque Hæreticis non omnem spem abjecisse.

II. Articulis, sine quorum explicitâ fide nemo Christianus futurus est, admissis, de cæteris dogmatibus liberum cuique esto iudicium. Non enim magis opinionum quam rituum varietas fidei unitatem dissolvit. Quam vulnus illud hiulcum, quod dudum corpori Ecclesiæ infixit

* Vide Salvianum de Gubernatione Dei, lib. 3. pag. 100, ex edi-tione Baluzii,

schisma, de facili coiisset, si, hâc medicinâ adhibitâ, tot Confessionibus, tot novis Canonibus Tridentinis, quibus Christianorum mentes opprimuntur, fidésque subtilibus argutiis redditur implicatissima, de rebus incertæ & planè dubiæ veritatis non adeò dogmaticè decerneretur ! Optandum foret Christianis universis, & potissimum Reformatis, quotquot à Romanæ Ecclesiæ communione expulsi recessêre, de singulis religionis apicibus convenire potuisse : sed cum id vix quispiam speret præ multiplici hominum ingenio & captu, præ judiciorum diversitate, præ variis interpretandi sacram Scripturam modis, cum non idem lumen, non eadem copia argumentorum, non eadem concludendi vis cuivis suppetat, quidni, pacis amori pervicaciam mentis posthabentes, dogmata propria ita amplectantur, ut cætera concordés, siqui, in fidei fundamentum non impingentes, alitèr sentiant, Christianâ moderatione & *οὐ γιγλα-
λάσει* ferant ? Faceat idèò illud maledicendi cacoethes, quod in naturam & religionem vertitur, dogmatumque, si commodè sine dispendio veritatis explicari possint, odiosa infectatio. Hâc enim vicissim concessâ indulgentiâ, quam moderatioris ingenii homines, pacis sequestri & arbitri, ut æquissimam suadent, quantum commodi in orbem Christianum redundaturum sit, nemo est ingenii adeò deplorati, qui non faciliè præfagiat.

III. Antiqui de regimine canones Ecclesiastici restituantur, ut, Episcopo Romano in ordinem
coacto,

coacto, & evanescente Oecumenicæ potestatis prætextu, quicquid juris Ecclesiastici ipsis canonum vigore competit, singulæ Ecclesiæ tandem recipiant. Meminerint interim Romanenses, hac iniquissimâ usurpatione violatæ pacis tandem convicti, communionem cum ipsorum Ecclesiâ in necessariis ad salutem olim non habitam fuisse, nisi quatenus ipsi cum Ecclesia Catholica convenisset. Quantæ olim concertationes litésque cum Romana sede agitabantur, ne quippiam de jure periret ! Privilegia sua vindicavit Ecclesia Orientalis, sua Meridionalis, utraque ac Romana in varios Patriarchatus distincta, ex decreto Concilii Nicæni, iisdem privilegiis suo limite & districtu singulæ fruebantur. Neminem huc usque Oecumenicæ auctoritatis adipiscendæ desiderium titillarat, nemini in titulum noménque cesserat, *Episcopus universalis*. Solus id sibi & successoribus adscribere ausus est Bonifacius, quasi totus mundus intra civitatis Romæ pomeria esset concludendus. Obstupuit mundus, nec sibi adeò fœdè imponi passus est. Carthago Christianismum amplexa, Romæ æmula, Romanum Pontificem æquè sprexit, ac olim Senatum. Constantinopolis honorem primæ sedis, licet interdum invita, cedens, sui juris mansit ; nec licet hodiè captiva, pristinæ dignitatis adeò stupidè obliviscens, ut Romanæ sedi tanquam Dominæ blandiatur : Turcarum tyrannidi cedens, Romanensium verò, ut conjectari fas est, nunquam cessura. Communionem cum ipsa, uti & cum

cæteris Ecclesiis Catholicis totius orbis Christiani, actu vel saltem desiderio, si tolleretur impedimentum, sibi retinendam sui esse officii duxerunt; authoritate, quam illa arreptam adeò impendiò voluit, interim rejectâ, quod & nos hodie præstaremus, si per ipsam licuisset. Esto Episcoporum primus Pontifex Romanus, modò non solus, quasi cæteri ipsius Vicarii essent; modò non universalis; modò aliorum jura, quæ eâdem lege Ecclesiasticâ nituntur, inviolata maneant; modò constitutionibus Apostolicis Romanæ Curiae decreta non repugnent, ac intra antiquorum canonum limites sese contineat Romana jurisdictio. Quo obice amoto, ineundæ paci via lata sterneretur. Hoc omnes probi, omnes, nisi quorum intererit æterna esse dissidia, usque & usque ardentissimis votis efflagitant, unionem his conditionibus avidissimè amplexuri, si quicquid est superstitionis in ritibus & cultu sacro tollatur, sique diris, quas in dissentientes evibrant, subductis, sola creditu necessaria veritas juxta veteres formulas proponatur, in cæteris relictâ judicandi libertate.

Hoc nî fiat, coram Deo Romanenses violatæ communionis usque postulabimus, per quos planè fiat, ut tali beneficio Ecclesia Christi Catholica hodie destituatur. Interim quascunque pacis Ecclesiasticæ conditiones cum gaudio quidem arrepturi sumus, modò exinde non lædatur conscientia; modò principiis & analogiæ fidei non contra eant; modò Scriptura ejusque genuina interpret primæva Antiquitas in dogmatibus

Dissidiorum Exercitatio Theologica. 181

tibus statuendis summæ authoritatis esse admit-
tantur; modò regimini Ecclesiastico nullum
fiat præjudiciũ; modò denique cuncta ad nor-
mam canonum consuetudinũque, quæ per
universam Ecclesiam pristinis seculis obtinuere,
exigantur. O felicem illum diem, quo dissidiis,
ad quorum memoriam horret animus,
sublatis, omnes, qui unicum eundemque Sal-
vatorem crucifixum colunt, fraterno affectu in
unum coibunt! At! at! per improbos Christi-
anorum mores illud neutiquam expectandum
est. Pristinâ pietate nobis opus est, si pristi-
nam concordiam velimus restitutam. Eheu!
deside ac propudiosâ Christianorum vitâ à ve-
terum exemplo ubique desciscitur: in artem
rixandi abit religio, quasi vita morumque nor-
ma esse desiisset. Per vitia nostra nobis non
licet esse tam felicibus, tam beatis. Hæc impe-
dimento sunt, quò minùs in eadem sacra com-
munionem concorditè vivamus. Deum ergo
supplicibus votis exoremus, ut omnes, qui se
Christianos profitentur, eodemque sacro in-
signiuntur nomine, unde exciderint, tandem
memores, resipiscant, & priora opera, opera
veræ ac solidæ pietatis, faciant; ut iniquissi-
mis censuris controversiisque futilibus omissis,
quæ ad pacem faciunt, & quæ ad mutuam ædi-
ficationem, sectentur; ut denique in viam ve-
ritatis conducti, in unitate Spiritûs, in vin-
culo pacis, & in sanctitate vitæ, fidem verè
Christianam, verè Apostolicam, verè Catholi-
cam retineant. Ita laboranti inter tot tumultus

182 *De Causis & Remediis, &c.*

tus Ecclesiæ succurrat ille misericordiarum Pater, propter merita Jesu Christi Salvatoris nostri, cui cum Patre & æterno Spiritu sit omnis laus & honor in secula seculorum. *Amen.*

FINIS.



Errata, contra fidem exemplaris admissa, quæ diligentiam Correctoris effugerunt, sic emendari debent.

PAg. 4. l. 4. *neque beneficio* : p. 5. l. 18. *tandem redux* : p. 9. l. 3. *impetraverat* : p. 85. l. 26. *veterum* : p. 125. l. 31. *ποεῖς* ; p. 129. l. 19. *tum ex* : p. 131. l. 36. *recentioribus* : p. 132. l. 4. *Psalmi* : l. 23. *hac de re* : p. 133. l. 25. *hanc* : p. 139. l. 22. *μονογενής* : p. 160. l. ult. *λυπηρό*.

*Sequentes Libri prostant venales apud
G. Wale ad insigne Angeli in Cœme-
terio D. Pauli.*

Collectio nova Græc. Patrum, 2 Vol. *Par.* 1706.
J. Pollucis Onomasticon, Fol. 2 Vol.
Forbesii Opera. 2 Vol. Fol.

Dict. de Richelet. Fol.

Baglivi G. M. D. praxis Medica Libri duo, cum
Indice. 8°.

Cæsaris C. J. quæ extant interpretatione & notis
illustravit J. Godvinus, Professor Regius, in usum
Delphini, juxta Editionem Parisiensem, Editio se-
cunda. 8°.

—— Idem sine Notis cum Indice locupletissimo
ex recensione T. P. A. M. 12.

Sophoclis Tragœdiæ, Ajax & Electra, nova Ver-
sione donatæ, Scholiisq; veteribus, tam ante hac
quam nunc primum editis, illustratæ, accedunt notæ
perpetuæ & variæ Lectiones. Op. Tho. Johnson,
A. M. 8°.

Delectus Epigramatum ex omnibus tum Veteribus
tam Recentioribus Poetis accuratè decerptus. 12°.

Cl. A. Tacqueti elementa Geometriæ, planæ ac
solidæ, & selecta ex Archimede Theoremata cum fig.
a Gul. Whiston, A. M. 8°.

Hornii Geographia vetus sacra & prophana Fig.
Fol.

Morinus de Ordinatione. Fol.

Puffendorf de jure naturæ & Gentium.

Ruari Epistolæ. 8°.

Gurtleri Hist. Templariorum. 8°.

Homeri Ilias & Odyss. 2 Vol. 12°.

Lipsii

Lipfii Opera omnia. 8 Vol. 8°.
Diogenes Laertius. 2 Vol. 4°.
Grævii Syntagma. 4°.
Cellarii Geographia. 2 Vol. 4°.
Aul. Gellius notis Gronovii. 4°.
Ennii Fragmenta. 4°.
L. Florus Var.
Justinus. 8°.
Clerici Opera Philosophica. 4 Vol. 12°.
Poirot de Eruditione. 4°.



